MONUMENTUM EXTREMI HONORIS, PERENNIS VIRTUTIS PIIS...

Gaetano Felice Verani, Michael Wening, ...

Digitized by Google

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
8
53 E
12

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

non prodotto
9 gennaio 1945
[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google



Cur non excubias vigiles egere Leones
Ne raperet charum mors inopina Ducem?
Nunc in pelle luant, quæ Belli tempore sicca,
Tota madet lacrimis, Patria moesta, tuis.

Amling. ſculp.

Digitized by Google

MONVMENTVM EXTREMI HONORIS, PERENNIS VIRTVTIS

PIIS MANIBVS

SERENISSIMI, AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS

8.53.E.12

FERDINANDI MARIÆ,

Vtriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Ducis, Comitis Palatini Rheni, S. R. I. Archidapiferi Electoris, Landgravii Leuchtenbergenſis.

In Regio Electorali Templo RR. PP. Clericorum Regularium Erectum, ac Nuncupatum

A

BIBL. ... ROMA ... VITT. EM.

P. D. CAIETANO VERANI, CLERICO REGULARI.

MONACHII,

Typis JOANNIS JÆCKLINI, Typogr. Electoralis & Bibliopolæ, ANNO M. DC. LXXIX.

Ex Bibliotheca S. Andreæ de Valle Romæ

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO,
AC POTENTISSIMO
PRINCIPI
MAXIMILIANO EMMANUELI,

Vtriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Duci, Comiti Palatino Rheni, Sacri Romani Imperii Archidapifero, & Electori, Landgravio Leuchtenbergenſi, &c.

Domino, Domino Meo Clementiſſimo.

PRincipem nobiliore Sui parte feſtinatò ſuperſtitem Fato pacata, ac tranquilla hâc in graphide delineatum; licèt non ad omnem ſui Archetypi elegantiam SERENITATI VESTRÆ ELECTORALI demiſsè dico, ac nuncupo: nimirùm Maximi Animi prægrandia

Ornamenta; ſeù ſumas Virtutes, quibus optimus, ac Dulciſſimus Veſter Parens FERDINANDUS MARIA Princeps Pacificus, Dux Pientiſſimus, Elector Integerrimus apprimè inſignitus æternùm etiam poſt Fata vivet in Principum Normam, Imperantium Exemplar, ac totius Orbis Chriſtiani Gloriam nunquàm perituram. Non moritur, qui ſedulâ Animi culturâ omnigenæ Virtutis vixit incremento. Hoc ipſum, etiam poſt mortem, eſt præclariſſimè vivere; ità vixiſſe. Potuerunt ſolicitantia Fata contractum ex Naturæ imbecilli conditione Pulverem, & hunc etiam aliquandò reparabilem, excutere; nunquàm tamen eius animum tangere, aut perimere: Imò ita nec Libithinæ peplo eius obducere ex Sibi aſſociatis Virtutibus mutuata decora, quin Manium obſita umbris irradient clariora. Mors, quam Vita bona præceſſit nihil Morienti affert moleſtiæ, nec detrimenti; ſed potiùs adeptæ Gloriæ addit incrementa, quia nobilioris Vitæ fœnerat pērennitati. Nunquàm feſſa decantabit Fama Poſthuma per innumeras temporum ſeries tot inflatis buccinis, quot veſtita plumis; tot linguis, quot Gentium vocibus Maximas FERDINANDI MARIÆ laudes: Huncquè Principum Maximum non uno duntaxàt nomine, ſed multiplici nomenclaturâ ubiquè terrarum vocabit PRINCIPEM PACIFICUM, DUCEM SANCTISSIMUM, ELECTOREM INTEGERRIMUM, PACIS ASSERTOREM EGREGIUM, PUBLICÆ QUIETIS VINDICEM EXIMIUM, PATREM AUREI SÆCULI, GLORIAM NOSTRI ÆVI, COLUMEN RELIGIONIS, CULMEN PIETATIS;

&

Digitized by Google

& hiſce alia adiiciet ſexcenta pulcherrima nomina; quæ ſuppeditabunt Virtutes ſummæ, quarum ſuprema tenuit ipſe faſtigia. *Datur hoc illuſtrium Virorum Poſteritati* (inquit Tacitus) *ut quomodo exequiis à promiſcua ſepultura ſeparantur: accipiant, habeantque propriam memoriam:* & eò Laudum gloria illuſtriorem, quò plena manu ex cultis virtutibus uberiorem laudum meſſem collegerint. Auſus ſum Clementiſſimo Veſtro obſequutus Imperio FERDINANDI MARIÆ Principum Maximi ſummas Laudes hiſce deſcribere foliis, non ut eas impar Encomiaſtes Calamo æquarem, ac totam eius metirer Gloriam: Arduum ſiquidèm eſt in Solem meridiano jubare coruſcum acies figere, & non cœcutire; ſed ut aliquam depromerem Epitomem, quam SERENITATIS VESTRÆ ELECTORALIS ſubiicerem oculis; & Imperantibus omnibus veram Principis IDEAM exhiberem imitandam. Vixit omnium Virtutum Myriade Cœlitùs donatus Optimus Princeps: ſed ut ſervata Quiete tot inter Rerum diſcrimina, temporumvè diſſidia Populorum commoda promoveret: ut commotas ubiquè terrarum armorum procellas ſedaret: ut glorioſior triumpharet ipſe cuſtoditâ Pace, quàm Alii inito Bello: ut morum ſuavitate omnium animos alliceret, Sibiquè devinciret: ut inſigniori bus Pietatis exemplis non ſolum Aulam Bavaricam, ſed & totum componeret Orbem. Hæc ſunt trophæa, quæ ſibi erexit. Hæc monumenta immortalitatis. Hæc Amatiſſimi Veſtri Parentis Veſtigia, quæ haud degener Filius, etiam ad uberiora

Tacit. annal. 16.

)(2 glo-

gloriæ incrementa ſequetur : Nam ut bellè cecinit ille

Claudian. Lib. 2. In Stilic.

Non vivis annexus Amor meminiſſe ſepultos
Deſinit: in Prolem tranſcurrit gratia Patrum.

Vivat diù SERENITAS VESTRA ELECTORALIS in Orbis delicium, Principum Normam, Imperantium Gloriam. Ità avet, ità enixè Deum precatur, ut ſuis annuat votis

Serenitatis Veſtræ Electoralis

Humillimus Devotiſſimus Obſequentiſſimus

In Chriſto Servus

D. CAJETANUS VERANI,
Clericus Regularis.

Digitized by Google

FVNEBRES POMPÆ

FERDINANDO MARIÆ,

S. R. I. Electori, Vtriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Duci, &c.

A

MAXIMILIANO EMMANUELE,

FILIO & HÆREDE

PERSOLUTÆ

Monachij Anno M. DC. LXXIX.

Pridie idus, idibus Junij, & decimo octavo Kalendas Julij.

EXtremos honores pijs Manibus FERDINANDI MARIÆ *Electoris* perſolvere ad ſummum munificentiæ ſplendorem in Regio Electorali templo RR. PP. Clericorum Regularium, ubi

Digitized by Google

Maximi Principis Magni quieſcunt cineres, cum decreviſſet Mœſtiſſimus Filius MAXIMILIANUS EMMANUEL: mihi uni demandatum fuit integrum literarij apparatus officium. Terruerunt me præfixæ temporis anguſtiæ; debui nihilominùs me ipſum urgere, meque iterato juſſui flectere, ac obtemperare. Operis argumentum ex ſummis decerpſi *Pientiſſimi Principis* virtutibus, quæ uberrimam mihi exhibuerunt laudum ſegetem. Has deprompſi; ſed credas volo, me nunquam, tùm funebri in Panegyri, tùm in elogijs, & carminibus præterfluxiſſe emeritæ laudis margines; verùm infrà condignum ſemper repſiſſe calamum: quas plena manu excoluit ipſe virtutes; impar Encomiaſtes vix ſummis carpſi digitis inchoatam duntaxàt daturus raptim *Maximi Principis* graphicem: hanc tamen qualemcumque exhibuerim accedente imperio *utriuſque Sereniſſimi, & Electoris, & Maximiliani Adminiſtratoris* compellor typis demandare unà cum Emblematis ære inciſis

Æternùm, ut vivat terris poſt funera virtus,

Cujus nomen, ut cecinit ille eſt

Horat. lib. 3. carm. ode ultim.

----- Monumentum ære perennius
Regalique ſitu Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo Impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Ple-

Digitized by Google

Pleraſque Emblematis adieci parerga,non ut præcepta ad unguem exequerer, quæ pro ſymbolis hiſce componendis in meo *Argutæ Elocutionis Pantheon* decem abhinc annis cuſſo ſervanda propoſui; ſed duntaxàt ad elegantiorem ornatum,ut aliorum me genio accommodarem. Lugubris apparatus complectebatur totum perambli templi ambitum à coronide infrà teſtudinem ad imum baſis nigris obductum pannis, qui horrorem ingerebant quadam majeſtate permixtum: quaquaversùs penſiles ex epiſtiliis tabulæ eleganti delineatæ pennicillo ſymbolicè *Defuncti Principis* referebant virtutes,additis Elogiis ad columnarum baſes deſcendentibus. Singula templi intervalla ſuis ornata ſuſpiciebantur emblematis, quæ ut loci capacitas permiſerat Inſcriptiones, vel ſolutæ, vel numeris adſtrictæ interpretabantur inter gentilitia Inclytæ Domus Bavaricæ ſtemmata. Mauſolei moles infernè quadrangula octo includebat virtutum ſimulacra lugentium ad inſtar Præficarum, quæ præ nimio doloris ſenſu propria videbantur inſignia abiicere,ſingulis peculiare reſpondebat lemma: è quatuor angulis totidem, veluti è caudice ad molis uſque faſtigium arboreſcentia aſſurgebant candelabra crebris ſuccenſa funabulis in ſpeciem repetitæ coronæ. Pars molis ſuperna præter quatuor pyramides aſſurgentes in faſtigia ángulorum quadrati in-

Digitized by Google

ferioris figurâ erat octangulâ, & in octogònam, ac ſcanſilem pyram faſtigiatìm acuminatam exurgebat: totaque moles innumeris ſtellata facibus in cereas liqueſcebat guttatim lacrymas; terriſque ereptum *Principem* plangebat. Quadripartita Mauſolei facies infernè patenti ſecta hiatu ſub concamerato fornice *lectum doloris* exhibebat defuncti Electoris conveſtitum exuviis. Tametſi extincto parentemus *Principi* adhùc virtutum myriade clariſſimus fulgebit Poſteris. Nam liceat mihi cum Tacito concludere. *Multos veterum inglorios oblivio obruet. Hic Poſteritati narratus ſuperſtes erit.*

Tacit. annali 16.

*



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by

Digitized by Google

IN PARENTALIBUS

FERDINANDI MARIÆ,

S. R. I. Electoris, Utriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Ducis, &c.

Oratio Funebris.

ITa ne eo vel tempore, quo poſt ſedatas armorum procellas, coërcitos pugnantium impetus, compoſita diſſidentium Principum capita; tandem Chriſtianus Orbis publicis exultans gaudiis Sancitæ Paci, adeptæque quieti diù concupitum occinit Epinicium, ferale ego aggrediar Epicedium? Ita ne ad hoc me ſors acerbiſſima detruſit officium, ut non ſolùm mœrentis animi querelis communis lætitiæ diſturbarem primordia; Verùm ad ſubiiciendam veſtris oculis luctuoſæ Tragœdiæ cataſtrophem caligines, & lacrymas in atrato proſcenio Manium obſitus umbris, ac ſqualore quaquaverſùm circumſeptus depromerem? licet unicuique repetere, quod Propheta mœrens eluxit: *Oculi mei caligaverunt à fletu, quia elongatus eſt à me, qui conſolabatur me.* Thren. 1. Ita ne publicæ quietis Vindici eximio, Paciſque Aſſertori glorioſiſſimo pro virente Olea Romano ſeptenni labore procurata Imperio funereas Monodiæ lugubris rependam cupreſſus; & Ignes ad id jam parati, ut enaſcenti communi lætitiæ obſtetricarent, geminatis priùs obruentur luctibus, repetitis extinguentur gemitibus, quàm

ad

ad communem ſplendeant hilaritatem? Ita eſt: humanæ viciſſitudines conditionis hoc poſtulant, ut dùm apicem felicitatis attigiſſe videamur, in imum proturbemur doloris: altiùs Fortuna nos extulit, quo lapſu graviore rueremus. Querulam igitur acturus Præficam lugubre exordiar Epicedium; ſed ſine allicientis elocutionis lepore, inamœnum; ſine argutiarum acuminibus, languidum; ſine elegantiarum deliciis, incomptum; ſine facundiæ ornamentis, neglectum; ſine Rhetorum fucis, ſqualidum. Heù! intempeſtiva præmaturi Fati procella noſtrum protrivit verna temperie Delicium; nulla excultæ eloquentiæ ſpectentur vireta. Inopinæ mortis invidia noſtrum ſua demeſſuit falce virentis Oleæ Florem; nulla deſideretur elegantiarum amœnitas. Inſolens turbo trabeatum Principum Splendorem momentò extinxit; nullus grandis orationis nitor affulgeat. Quia lugubre argumentum exlex mihi ſuggerit dolor; Sinite me hac die publicis conſecrata mœroribus nullis addictum effandi legibus ordine quodam tumultuario laudes *FERDINANDI MARIÆ Electoris* pervagari; ac Virtutes, quarum faſtigia ipſe attigerat, leviter recenſere, ut ſaltèm ex ungue Boicum iſtum prægrandem diſcamus Leonem.

Prætеribo in uberrima rerum Segete protritam Rhetorum legem derivandi laudes à Stemmate tot jam anteactis ſœculis inclyto, & inter prima Europæ Coronaria, omnique præconio clariore: emendicatis non indiget nitoribus, qui ſibi ipſi ſufficiens laus eſt. Quia verò nulla poteſt *FERDINANDI MARIÆ* ætas recenſeri, quæ albo divinitùs præſignata lapillo multiplici non illuxerit ſummæ virtutis ſplendore, ab ipſis exordiar pubeſcentis Infantiæ crepundiis, quæ ditiſſimam laudum mihi exhibent ſupellectilem. Nimirùm orientem Solem apprimè æmulatus, in ipſo naſcentis vitæ orizonte totus ſe ſe in clariorum effuderat virtutum incrementa ad ignaviæ depellendas caligines, ad vitij quaſque umbras

bras

Digitized by Google

bras fugandas. A primis ſiquidèm pueritiæ rudimentis, ita ſe Deo, ac Cœlitibus mancipaverat, ut puerilia ludicra reſpuerit; Infantiles nugas neglexerit, ac ludos quoſque contempſerit: Summis ſcilicèt aſſueſcens virtutibus nil egit, quod ſuprà Infantiam, ſuprà ætatem non fuerit. Meridiem in ipſa huius novi Solis Aurora obſtupuit Bavaria cùm plenos virtutum radios vel à puero emiſerit. Oculatior Argo primo terræ offenſus aſpectu nihil in ea ſe dignum invenerat; ad Superiora debuerat ſe expanſo volatu evehere. Hinc non mirùm ſi adhùc in ætatis flore nobis fuerit ereptus: diù detineri in terris non poterat, quem cœlum cœperat, vel naſcentem attrahere. Nemo eſt, qui ambigat ſummam eſſe virtutem, ac prægrandis animi ſingularem characterem ſe ipſum vincere, iram compeſcere, nullis emolliri illecebris, nullo fortunæ ictu frangi, nec inflecti: at hæc *Principis Maximi FERDINANDI MARIÆ* ſunt veſtigia, quæ nobis reliquit; hæc throphæa, quæ ſibi erexit. A Primi Parentis lapſu ea fuerunt Rationem inter, & Senſum concitata jurgia, ea in unoquoque hominum ſuborta diſſidia, ut niſi adamantini pectoris objecta firmitate; niſi inconcuſſi animi adhibita conſtantia mentis Conſilium turbis affectuum à recto deflectentium vix poſſit frænum iniicere. Tranſmiſſæ ſiquidèm per ſenſuum vehicula oblectantium rerum ſpecies mentis aciem ſuo perſtringunt ſplendore, animum alliciunt, ac ſenſim ſine ſenſu totum rapiunt hominem, qui tametſi dominio libertatis apprimè inſtructus, ſuavi tamen quodam irretitus compede, prophano ſtudio, voluptatibus, quæ ſenſum titillant liberè adhæreſcit. Unus duntaxàt ex ſexcentis quos in Heroum chatalogos prophana retulerat Vetuſtas laudatur Ulyſſes, quià callidæ Circes deluſerit veneficia; cum ſocij doloſas pervagati ædes, poculo voluptatis epoto in belluas, ritusque ferinos degeneraverint. At quænam adoreæ laudatio; quæ gloriæ ubertas; quæ encomiis referta panegyris noſtro Principum

Maximo non foret pro delatæ victoriæ fænore rependenda? Quis effrænes quosque tùm concupiſcentis, tùm iraſcentis animi motus compeſcuit? *FERDINANDUS MARIA*. Quis Reginæ perduelles Rationi cohibuit appetitus, cohibitos cicuravit, cicures ad rectæ rationis nutus inflexit? Ferdinandus Maria: ipſe eſt, qui jurgia quæque inter diſſidentes animi motus ſedavit, malaciamque conſtituit nullo ſeditioſo quaſſandam depravati appetitus turbine. Hominem planè Stoicum; vel potiùs Angelum humano veſtitum corpore ſi dixero, non erravero: ipſum enim ſuprà humanam factum naturam nuſquam pellices voluptatũ illecebræ allexerunt, titillarunt; nuſquam blanda deliciarũ lenocinia illaquearunt; nuſquam validiſſimę vanitatũ obſidiones dementarunt: ſed ſummarũ virtutum addictus culturę pietatem poſuit cœterarum Tyrocinium. Quotquot per anni circulum Servatori Chriſto, vel ejus Virgini Matri, aliisve ex præcipuis Cælitibus ſacræ voluuntur dies exhomologeſis priùs Sacramento expurgata ab omni labeculæ umbra in pervigiliis conſcientia animi integerrimo coluit candore, imitatus in terris morum innocentia, quos cœlum æterna veneratur beatitate donatos: ad Angelorum epulas cœleſti reficiendus ſuavitate ea dein ſiti rapiebatur, ut ſubindè in lacrymas colliqueſceret: nimirùm oculorum humor debuerat ad ferventes Divini Solis radios depluere; & Ros ille Sereniſſimi verticis aſcendente ſole decidere. Nequè tamen Divinis fartus ipſe deliciis alios permiſit iiſdem diebus angi miſeriis: profuſis enim auri, argentive ponderibus inopia laborantium copias recreavit: & immolati Numinis centiès repetitis ſacrificiis integras purgantium animarum redemit legiones. Hæc fuere pientiſſimi Principis ſtudia: hæc majoris momenti negotia: hæc ſumma curarum faſtigia, Deo eo, quo poſſet ferventiori adhærere affectu: Cœlitibus cultum, quem poſſet majorem exhibere: Proximo eà, quà poſſet charitate prodeſſe. Integerrimis

ipſe

Digitized by Google

aſſuetus moribus liliatam prætulit innocentiam, quà omnium animos ad vitæ allexit candorem; omnium deſideria ad pietatis flexit incrementa; omnium affectus in Deum convertit. Utinam ad hujus Imperantis exemplum totus fuiſſet terreus orbis compoſitus: quam virtutum ſuaveolentiam redoleret? quam pietatis culturam exhiberet? Hæc ſunt, quæ æmulentur Reges; imitentur Principes; ſequantur Duces. Non me latet Asbeſtinum Olympium veluti ſtadium in pyra nactum flammis circumſeptum candicare ſplendidiùs, coronari pulchriùs: Aurum purpuratum metallorum Regem ſubjectis ignibus purgari nobiliùs, triumphare clariùs: Arethuſam per ſalſas æquoris undas ad longos tractus innocuam devolvi, dulcorem ſervare: Palmam triumphis celebrem inter ſylvarũ dumeta ſatam delicatiores progerminare fructus, latiores diffundi in ramos: Emiſſos è Sole radios cænoſos ſordeſcentis telluris tramites nulla contracta labe traiicere: forent hæc mundiſſimi Principis Emblemata, niſi ſpectaculum longè elegantiùs exhibuiſſet; cùm innocentiæ florem per ſingulas fluentis vitæ periodos à quavis cuſtodivit labe; cùm puritatem, quam cum lacte ſuxerat non minuit, ſed adjecto auxit morum candore; cùm mentis receptacula defœcatis duntaxàt referta imaginibus à prava quavis ſejunxit obſcenitatis nubecula; cùm ſæviente ferreo ſæculo triumphavit ipſe aureus. Affectus omnes Rationi perduelles, ità cohibuit, ut aſſerere non dubitarim jaculatorem Cupidinem victoriam omnem deſperatum nulla fuiſſe auſum in ipſum ſpicula intorquere. Fidem vix mihi conciliarem, niſi teſtes omni probitate inſignes poſſem producere, qui tactis aris aſſerant FERDINANDUM MARIAM Electorem toto vitæ decurſu, ità à venialibus caviſſe offenſis, ut nunquam fuerit lethali ſcelere maculatus. Felix Princeps, qui ciſternas voluptatum diſſipatas nunquam ſitivit; qui totam ità inſtituit vitæ periodum, ut mori mallet, quàm fœdari; qui ille-

Digitized by Google

cebrarum omnium ità aſpernatus eſt incitamenta, ut ab honeſto nunquam deflexerit. Pròh ſingularem Principis munditiem! Quod olim Paulus non valuit repetitis precibus aſſequi, ut ſtimulus in eo carnis extingueretur; Princeps caſtitatis Athleta ab illecebris omnibus abhorrens fuit ſtatim aſſequutus. Quos luxuriæ conatus, ut frangeret Hieronymus nudum debuit ſaxo pectus obtundere; Princeps caſtitatis Athleta ſolo imperantis Rationis nutu plenè coërcuit. Quos Veneris ſtimulos, ut infringeret Benedictus nudum debuit corpus confodere vepribus; Princeps caſtitatis Athleta inconcuſſa animi contudit firmitate. Quas Veneris labes, ne contraheret Franciſcus debuit altis ſe ſe volutare nivibus; Princeps caſtitatis Athleta ſolo Divini amoris fugavit ardore. Quos Cupidinis ignes, ut præfocaret Bernardus rigidiſſimis ſe ſe undis immerſit; Princeps caſtitatis Athleta niveis abegit moribus. Ab omnibus ſemper abhorruit corrupti ſæculi voluptatibus, quià noverat mundi illecebras æſtuantis pelagi blandulas eſſe ſirenulas, quæ cantu delectant, ſed dente lacerant: Hircaniæ ſylvæ Panteras, quæ profuſo alliciunt odore, ſed ungue dilaniant: Vireta Sardonica, quæ riſum excitant, ſed mori cogunt: Babylonicæ Mulieris impudentiam, quæ venenum aureo propinat in poculo. Ter felix Princeps, cui voluptas fuit ab omni ſe abdicare carnis voluptate. Ter felix Princeps, qui vel in mediis Aulæ frequentiis ſanctam frequentavit ſolitudinem, ut Cœlitum ſe ſe frequentiores inſinuaret in amplexus. Ad cœli colloquia terrena allicit ſolitudo; quam, ut excoleret in intimis acciuerat Aulæ receſſibus: Hìc precariis globulis ſingula ſignabat Deo momenta: Hìc per ſtatas preces ſua cum cœlo nectebat amoris fœdera: Hìc noctes dimittebat inſomnes, vel in aſceticis volvendis, vel piis meditationibus conſtruendis: Hìc patientis Servatoris cruenta imitatus exempla flagris ad ſanguinis effuſionem ſe dilacerabat: teſtes appello retortos in nodos funes, quos gem-

ma

ma quavis pretioſiores in prædiviti obduxerat ſcrinio; verè lilium inter ſpinas, cùm aculeata inter tormenta virginea membra verſarentur: Lilium puritatis ſanguineas etiam rubuit in roſas. Non ſatis fuerat Principum Maxime terreni Principatus rubuiſſe chlamyde, voluiſti cruoris purpuram adijcere: nimirùm utrumque promeritus regnum temporarium, æternum duplici debueras purpura ſplendeſcere. Non tamen ità in intimioribus Aulæ receſſibus delituère inſignia pietatis exempla, quin extrà Regiam ſe prodierint. Mos eſt laudatiſſimus Monachij quot annis rigente adhùc bruma per quadraginta horarum intervalla in templo Divo Petro nuncupato publicis precibus Numinis Divinitatem ſub ſpeciebus venerari Euchariſticis: illùc Princeps Deo plenus mediam ſub noctem neglecta amictus penula, obviam occurrentibus penè ignotus ſe nudis ſubindè pedibus contulit, ſeque conſtipatis immiſcens populorum frequentiis nudum ſuprà lapidem in genua provolutus in Deum animi collectione adeò abripiebatur, ut ad horas integras effuſas colliqueſcens in lacrimas Divinas preces protraheret: Deo apprimè agglutinatus Princeps ab ejus difficilimè ſejungebatur colloquiis. Nemo eſt, qui ignoret, quàm ſanctè integram vitæ periodum obierit, ac probitatis coluerit inſtitutum: quis exactiùs Eccleſiæ ritus omnes in Divinis peragendis juſſit ſervari? Quis ſolemniùs ſingulis diebus feſtis Divina curavit perſolvi officia ad elegantiſſimos muſices concentus? Quis frequentiùs ſacris interfuit? Quis in concionibus audiendis magis aſſiduus? Quis blandiùs Aulicos hilaritate allexit, modeſtia compoſuit, ac ſuaviùs ad virtutis accerſivit magiſteria? Quis indicta ab Eccleſia fidelibus jejunia cuſtodivit exactiùs: ità ad libellam exiguum ſumebat obſonium, ut ſignatum jam dentibus ipſi gratiſſimum pomum reſpuerit, ne ſuprà tenuiſſimam præſcriptam frugalitatem quidquam deglutiret: in pervigilijs Virginis Matris adeò ſeveriorem

Digitized by Google

ſibi victum definierat,ut nimia ciborum parſimonia vires attereret,corpus emaciaret. Sed ne hactenùs recenſita duntaxàt videantur fuiſſe Pientiſſimi Principis laudes;ad alia digrediar, quæ probatiſſimum Imperantis regimen emerito gloriæ coronant incremento. Maximū optimi Principis eſt munus,ſubditorum commoda promovere; populorū bona tueri: id fuit apprimè aſſequutus ſervata quiete, cuſtodita pace ferreis poſtremis hiſce temporibus, quibus univerſa propemodùm Europa armorum undique quaſſata motibus, furentium militum dilacerata cladibus, effuſoque madida ſanguine fractis oculis, fracta Principum fœdera ingemiſcebat. Ubique locorum clangentes tubæ, pulſata tympana animis militiæ addictis ſacramento pugnarum impreſſerant incitamenta: ubique homo homini inſidiabatur: ubique cataphractus miles digladiabatur: ubique clades, ubique cædes: & quæ Cœlo aſſurgebant operoſiſſimæ ædificiorum molitiones inter minuti pulveris quiſquilias deflagrarunt: quæ arvorum amœna ridebant, vel teſſelata floribus, vel flaveſcebant fœnerata ſagete, vel diteſcebant referta fructibus militum incurſionibus detrita in luctu jacuerunt, ac ſqualore. Unica duntaxàt è tot Germaniæ Ditionibus gaviſa eſt Bavaria ſine armorum tumultu quieviſſe: ſinè exteri militis appulſu propria bona cuſtodiſſe: ſinè pugnantium cladibus vernante pacis olea floruiſſe. Bacchabantur per Imperij Circulos armorum procellæ, quæ ſanguineas ſolutæ in pluvias, niſi neces,ac ſtrages dederunt. Lætabatur Bavaria ſereni cæli lumine ſibi arridente. Germinarunt cœtera ſaucijs ſata cadaveribus arua lethalium ſylvas cupreſſuum. Fovit Bavaria cœli perfuſa rore pinguem gignendis fructibus ubertatem. Languebant gravi preſſa armorum pondere validiora Imperij Regimina. Vigebat Bavaria omnigeni fructus locupletata meſſibus. Sterileſcebant feraciores concipiendis ſeminibus agri diſcurrentis militis attritu. Veſtiebatur ditiori ſemper

ſegete

Digitized by Google

ſegete Bavaria novo aucta felicitatis fœnore. Quis tot inter Europæ procellas Bojarico cœlo hanc invexit ſerenitatem? Quis æſtuantibus ubique armorum motibus quietem hanc inconcuſſum veluti ſcopulum incolumen ſervavit? FERDINANDUS MARIA *Princeps Pacificus.* Hic eſt qui diſſidiorum chimæram Bellerephonte ſagacior confodit, jugulavit. Hic eſt, qui ſeptenni non pepercit labori, ut exulem pacem Imperio reſtitueret: unum Herculem celebrat Gallia in Bivio Prudentem: unum Ulyſſem prædicat Græcia aures Sirenum cantionibus oppillantem: unum impoſterùm recenſeat Europa ætate ſanguineis bellis fœda FERDINANDUM MARIAM *Principem Pacificum.* Non tamen fuiſſet ſatis Maximo Principi ſervatæ quietis beneficio populos beaſſe; niſi munificentiſſima manu profuſas indigentibus opes etiam ſuppeditaſſet; niſi omnibus ſtuduiſſet ſibi addictis prodeſſe populis; niſi totum impendiſſet opus, ut miſeriarum cumulo preſſis foret levamini: nullum permiſit diem excurrere, quin ſuis eſſet beneficiis plenus: nullum ſcivit amiſſis ex infortunio, vel ignis vorantis, vel grandinis decutientis bonis illacrymari, quin elargitis ſubſidiis exhilararet: nimirùm noverat Principis manum, ſplendidiùs donativo, quàm ſceptro irradiare. Loquantur Principis Munificentiam labentes familiæ, quas aureo ſcipione reparavit: ægentes Viduæ, quibus auri, argentivæ nitoribus lacrymas exſiccavit: Inopes ſeminudi, quos aureo vellere conveſtivit: Laborantes inſanabili ægritudine, quibus omnia ad vitam neceſſaria abundè ſuppeditavit. Recenſeant Principis Munificentiam Xenodochia, quæ prædiviti cenſu locupletavit: ſacræ ædes, vel veſtutate collapſæ, vel incendijs cinefactæ, quas ad nobiliorem ſpeciem, ac ornatum inſtauravit: perampla Cœnobia, quæ à fundamentis erexit, ac muneribus cumulavit, ut exulantem ab orbe pietatem, veluti poſtliminio revocaret. Præ ceteris enarret prolixam Principis Munificen-

cen-

centiam laxum vaſtè templum ambobus Cœlitibus Cajetano, & Adelaidi ſacrum,quod ſine auri parſimonia à primo lapide eà voluit erigi amplitudine, eà conſtrui elegantia, eò abſolvi ornatu, ut vix aliud per totam poſſit Germaniam ſignari, quod illi coæquetur. Edicat Principis Munificentiam peramplum Clericis Regularibus conſtructum Conclaue,quod profuſis pecunijs fovit, innumeris cumulavit beneficijs. Refert Tullius, multum contuliſſe authoritatis, & gratiæ inter cives C. Octavio, quòd domum ædificaſſet magnificam: at longè majus laudum, ac gloriæ incrementum nunc rependent Superi FERDINANDO MARIÆ ob ampliſſimam, ac elegantiſſimam ipſis conſtructam domum. *Manificentia*, ut Clemens Alexandrinus loquitur, *eſt expreſſa Dei viventis imago*: voluit hanc exercere Princeps ad Dei ſpecimem per exercitia pietatis apprimè inſtructus. Mos fuit probatiſſimus extruendorum trophœorum, ſeù arcuum à triumphis nuncupatorum ea magnificentia ob marmoreas ſimulacrorum ſylvas, minutioreſve cœlaturas geſta referentes Romanorum Cæſarum,ut quæ hiſce temporibus tantæ ſtructuræ ſuperſunt fruſta videantur non Urbi ſolùm, ſed Orbi ipſi eſſe poſſe ornamento. Monumentum ad omnem abſolutum elegantiam non deeſt FERDINANDO MARIÆ, & eo Romanis ſplendidius,quo Cœlitum cultui erectum Munificentiſſimi Principis æternam referet Pietatem. Quid decentiùs, quàm cum Deo magnificè agere? Scio Pompeium omnes ſui ævi homines in hoc laudis genere ſuperaſſe ſtructa Porticu elegantiſſima, ac Theatro ad omnem abſoluto nitorem. Scio Auguſtum Cæſarem, vel condendis, vel inſtaurandis Templis, vel exornanda Urbe omni genere magnificentiæ adeò excelluiſſe,ut gloriatus fuerit Urbem, quàm Lateritiam acceperat relicturum marmoream. Scio Severum Auguſtum omnes ædes publicas, quæ temporum vitio labebantur reparaſſe. Adrianum novis ſemper ædificiis

Clement Alex.

con-

conſtruendis occupatum. Probum Imperatorem ubiquè locorum Pontes, Templa, Porticus Regias innumeris, auri, argentivè ſumptibus erexiſſe, multorumvè fluminum oſtia patececiſſe, ac paludes exſiccaſſe. Auguſtum Apollinis Fanum ad omnem abſolviſſe elegantiam, & forum, cum æde Martis Ultoris; ædemque tonantis Jovis in Capitolio ſingulari conſtruxiſſe munificentia. Fateor maxima hæc Romanæ gloriæ monumenta: verùm majora maximis ſi dixero, quæ *FERDINANDUS MARIA* Cœlitibus erexit, Fidem adſtruent ſuſceptæ laudis incrementa: illa ſiquidem Exempla fuere vanitatis: hæc monumenta Pietatis. Et ne videar prolixitatem è Principis edidiciſſe magnificentia; omitto Propugnacula expugnatu difficillima; Repagula validiſſima ad exteri militis coërcendos impetus; Mœnia ad retundendos quoſque hoſtium conatus aptiſſima; Arces; Aggeres; Munimina; quæ Brunduni ad Oeni margines excitavit. Omitto Oëttingana Palatia in Provinciæ ſpeciem conſtructa; Niphemburgica ædificia, quà picturis, quà marmoreis cruſtis inſignia: ejuſque aggrediar Prudentiam, quæ in componendis diſſidentium Principum animis; provehendis publicæ quietis commodis maximè enituit. Non me latet Homerum virum prudentia pollentem, ac judicio; ut excellentiſſimi Principis ſpecimen proponeret, aſſignaſſe illi Conſiliarios maturitate graves, prudentiâ inſignes, & in rebus agendis apprimè peritos: nequè exiſtimaſſe perfecta Principis dignitate potiri Regem ſuum Agamennonem, niſi Neſtorem acciviſſet, cujus uti poſſet conſilio: parùm ajebat prodeſſe Principi, vel animoſum Achillem, vel clypeatum Ajacem, vel egregium jaculatorem Teucrum, vel ſtrenuum Diomedem, niſi viros adhibeat conſilio claros, ac in rebus deliberandis prudentes: idque aſſequutus Antoninus Imperator apud Julium Capitolinum, *Æquiùs eſt*, inquit, *ut ego tot amicorum conſilia ſequar, quàm ut tot meam unius voluntatem ſequantur*. Lactea hùc debuiſſet longævi Neſtoris

eloquentia vocari, quæ FERDINANDI MARIÆ commendaret Prudentiam: Conſiliarios tot inter diſſidentis Europæ diſcrimina adhibuit, ſed conſilio inſignes, ſapientia ſingulares, prudentia laudatiſſimos, qui privato quovis exuti affectu Bona Principis, ac ſubditorum commoda unicè ſervata quiete; cuſtodita pace provexêre.

D. Aug. *Bonum Pacis*, ait Auguſtinus, *tale eſt, ut in rebus creatis nil glorioſiùs ſoleat audiri, nil delectabilius concupiſci, nil utiliùs poſſideri.* Sinite à me hìc uſurpari, quod de Trajano occinuit encomiaſtes Plinius, ut veriùs de FERDINANDO MARIA dicam.

Plinius in Traja. *O ſumma Principis Prudentia, quæ armorum procellas ſedavit, excitata jurgia extinxit, æmulas reconciliavit Civitates, publicam ſervavit quietem.* Non tamen hactenùs recenſita prægrandis animi ornamenta adeò me detinuêre, ut debuerim cæteras, quas excoluit virtutes omninò reticere. Summa Principis laus eſt inconcuſſam animi firmitatem, pectuſque Adamantinum utrique obiicere Fortunæ adverſanti, adblandienti; & eádem oris æquabilitate ſe occurrentibus exhibere humanarum rerum viciſſitudinibus, ut non Fortuna animo, ſed animus Fortunæ dominetur: arridentem irriſit Fortunam, cùm oblata ſuffragia, quibus renuntiaretur tùm Polonorum Rex, tùm Romanorum Imperator invicta reſpuit conſtantia: Verè Imperio Major, quia contempſit: nimirùm Servatoris Chriſti innixus veſtigijs, nunquam conquerebatur acriùs, quàm cum ad honores quærebatur. Adverſæ tela Fortunæ contudit, cum obverſantia quæque ea animi complexus eſt hilaritate, ac ſi oblata Numinis munera ei obtigiſſent. Flagrabat bacchante incendio Regia: Flammas quaquaverſùs evomebant feneſtræ: ignem conceperant periſtomata acu picta ad ſingularem elegantiam, auro, argentove nitidiſſima. Abſumebat ignis rerum imagines, tùm ad ſummum Pictoriæ ingenium delineatas, tùm ſculptas ad ultimas Angyptices metas: exardebant laquearia; ſerpebat per omnem fuſè, latèque ſupellectilem ardor: ſerica, manilia,

nilia, gemmæ, annuli unà cedebant in pretioſum vorantis incendii pabulum: jam ſaxa, jam parietes diſſoluta compage dehiſcebant, ſemiuſta ruebant tabulata; liqueſcebant vaſa aurea, ac argentea, ubique fumus, ubique fletus, ubique pernicies. Properavit, cucurrit, acceſſit ad ſæva incendia *FERDINANDUS MARIA*, non ut actus in bilim excandeſceret: ſed ut oris ſuavitate, frontis hilaritate plorantium lacrymas exſiccaret; mœrentium caligines fugaret. Pluriès tonavit Fortuna, procellas excitavit, ſed infrà verticem Sereniſſimi Principis. Non illos imitabatur Imperantes, qui Neroniana torvitate oculos defigunt in ſubditos, ut configant; qui terrico vultu deterrere gaudent ſibi ipſis formidoloſi; qui Principatum ſupercilio, ut Atlas Cœlum humeris efffulcire ſe putant: ſed manſuetudini, ac benignitati adeò ſtuduit, ut neminem unquam pupugerit verbo, in neminem unquam torvum defixerit oculum: ipſas voco cohortes familiarias, quæ amiſſum lugentes Principem teſtatæ ſunt, ſe nec unum unquam audiviſſe verbulum, quo poſſet quis conqueri. Talem eſſe oportuit, quem non bella, non jurgia; ſed Pax, & Quies terris dederunt. Plauſibile ſemper fuit Principibus à rebus præclarè, vel actis, vel auctis non tàm communibus populorum ſuffragiis, quàm ingenioſo gloriæ genio illuſtre aliquod aſſumere cognomentum. Hinc Alexander Macedo à rerum magnitudine, Magnus: Scipio ab Africa ſubacta, Africanus: Octavianus Cæſar à reſtaurato Imperio poſt bella civilia, Auguſtus: Sylla à proſpero bellorum eventu, Felix: Bajazetes à ſubitario præliandi furore, Procella: Phocion Athenienſis à frugalitate, Chreſtus: Trajanus à recto Imperii regimine, Optimus: Q. Metellus, quià Patrem precibus, ac lacrymis ab exilio revocaverit, Gratus: Antoninus Imperator, quòd initio ſui Principatus Iis indulſerit, quos Adrianus capite damnaverat, Pius: Cleomenes ab inſigni beneficentia, Benefactor: Ludovicus Primus Caroli Magni Filius à clementia mo-

Digitized by Google

rum, Pijſſimus: Philippus Valeſius ob inſignem ergà Sacerdotes pietatem, Catholicus. Prodijt in medium etiam FERDINANDUS MARIA, & ideò Poſtremus, ut omnes omnium virtutes colligeret ; ſuo itidem commendetur Inſignitus cognomento; & à pietate, quam excoluit in Cœlites, exercuit in Proximos non alitèr vocetur impoſterùm, quam *Dux Pijſſimus*; ab æquitate in rebus agendis *Elector Æquiſſimus*: à pace ſibi, & ſuis ſervata, Imperio procurata, *Princeps Pacificus.* At quorſùm ego tot laudes congeſſi; forſan ut conceptus animo dolor vulnerum veluti refricatione magis recrudeſceret? Nequaquàm: ſed potiùs ut abſtergerem ab oculis veſtris lacrymas: non plangenda eſt mors illa, quam vita bona præceſſit. Non vobis ereptum, ſed cœlo collocatum credite: qui Cœlo ſemper vixerat Principatum mutare potuit, non perdere. Non auſa eſt mors præmiſſis, uti ſolet, nuntiis FERDINANDUM MARIAM invadere, ſed Fraudulenta vafritie, clandeſtinis inſidiis, non falce, ſed telo cor illius momentò terrebravit. Nimirùm ſedatis armorum procellis debuerat ſtatim
IRIS PACIFICA Cœlo affulgere.
Dicebam.

AP-

Digitized by Google

APPARATVS FVNEBRIS
PIIS MANIBVS
FERDINANDI MARIÆ,
PRINCIPIS PACIFICI
Ex Lapidariæ Elocutionis ſupellectile in intimo Templi ambitu, & extimo ejus proſpectu compactus.

HActenùs defuncti Principis Laudes placuit oratione texere liberiore. Funebria Templi ornamenta poſtulant, ut eaſdem iterùm repetamus, non collectis verborum circumſcriptionibus ad laxiorem Eloquentiæ pompam; ſed preſſis Inſcriptionum laconiſmis, utì appenſæ tabulæ ex epiſtilijs intimi Baſilicæ ambitus retulére. Lapidaria Elocutio, quæ nobis ſublato parentat Principi; tametſi quantitate ſylaba-

labarum non illigetur, gaudet nihilominùs conciſis Lyricorum periodis, & ſententiarum copijs litat Brevitati; illaſq; reſpuit verborum redundantias, vocumque circuitus, qui ad ambas duntaxàt aures implendas depromuntur: ſolis delectatur Laconiſmis; adeò ut loquatur plura, & paucis ſe expediat; ac ſubindè vibratis argutiis punctìm feriat, & ad Pietatem præſertim in Principum Parentalibus ſtimulos addat. Scriptis hæret lapidibus, è quibus nomenclaturam exhaurit, ut diutiùs vivant Poſteris præclara Mortuorum Geſta. Extinctæ Virtuti id ſupereſt vitæ Facundia lapidum; quam ſi abſtuleris Mortuos cogis bis mori. Igitur *Detur hoc illuſtrium Virorum Poſteritati, ut quomodo exequiis à promiſcua ſepultura ſeparantur, accipiant, habeantque Propriam Memoriam.*

Tacitus Annal. 16.

Pri-

Digitized by Google

Prima Inſcriptio.

Paucis preſſa verbis, extimo Templi adſpectui affixa, funereiſque circumornata pannis inter gemina Mortis ſimulacra Viatores alloquebatur, quos lugubri invitamento ad defuncti Principis accerſebat Parentalia. Sicque legebatur.

QUISQUIS ES VIATOR
DOLORIS ORCHESTRAM INGREDERE,
LUGENTES PRÆFICÆ
LACRYMIS IMPENSIUS, QUAM VOCE
TE DOCENT:
ETIAM PRINCIPUM MAXIMOS
EX - TEMPORE
FATO CEDERE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Se-

Digitized by Google

Secunda Inſcriptio.


Chori appenſa Coronidi infrà teſtudinem Gentilitiis marginata Bavaricæ Stirpis Inſignibus ad Aram uſque Maximam indicabat, mœſtiſſimum Filium MAXIMILIANUM EMMANUELEM lugubri apparatu extremos honores defuncto Patri perſolvere, ubi ADELAIS Conjux condi juſſerat.



FER-

Digitized by Google

FERDINANDO MARIÆ
ELECTORI
Omnigenâ virtute Cœlitùs donato
In
Chriſtiani Orbis Ornamentum,
Principum Specimen,
Inconcuſſum Pacis Propugnaculum:
Sedatis Armorum motibus,
Quibus
Univerſa quaſſabatur Europa,
Terris Erepto
Oleâ Superis conregnaturo Feliciori
MAXIMILIANUS EMMANUEL
Elector, & Hæres
Pientiſſimo Parenti Piiſſimè Parentat,
Ubi
ADELAIDIS *Conjugis* quieſcunt
Cineres.
Quos verus Amor conjunxerat,
Nec Mors ſeparat.



Digitized by Google

Tertia Inſcriptio.

Pendula è faſtigio lateralis Aræ D. Cajetano nuncupatæ exprimebat, FERDINANDUM MARIAM *Electorem*, & HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM D. Cajetano ob datum ex voto MAXIMILIANUM EMMANUELEM *Principem Electoralem* Templum hoc poſuiſſe æternum Gratitudinis Monumentum.



Prin-

Digitized by Google

Principum Religioſiſſimus
Summarum Myriade Virtutum
Ad omnem apprimè inſtructus Pietatem
Cœlites ità coluit,
Ac candidiſſimis allexit moribus,
Ut tandèm
Sua flexerit in vota.
Diù concupitum
Inclytum Bojariæ Stirpis Hæredem,
Quia Parenti ſimilem
Facilè non poterat Natura ſola
Concipere;
In ſubſidium tanti moliminis
Unà cum HENRIETA M. ADELAIDE
Amatiſſima Conjuge
Æquo Voto
Thaumaturgo CAJETANO accito
E Cœlo ſtatim retulit,
Quem Terra diſtulit
Annos plures.
Nimirùm Homines Natura donat,
Heroas Deus.
Inter præclara mundi miracula
Ad Neſtoreos vivat annos,
Qui non creditur
Sine miraculo in mundum veniſſe.
Cùm Prole ſuſcepta
Dediſſe Deum omnia, quia noverat
Princeps Gratiſſimus
Regium hoc, quod vides, quod miraris

Ad omnem elegantiam ornatum
Illi reddidit Templum.
Prudens Negotiator
Peramplas Cœlitibus domos condidit,
Quæ proventus darent
Immortalitatis.
Nec ultimas grati animi metas
Intrà laxum Regij Templi ambitum
Coarctavit.
Supremos etiam honores
Solemni celebrandos à militante Eccleſia Apotheoſi
Beneficium poſtulavit à *Clemente X.*
Quid non impetraſſet in tam pia cauſa
A Patre ſanctiſſimo Pientiſſimus Filius?
Annuit æquiſſimis votis *Pontifex.*
Profudit plura aureorum millia
Munificentiſſimus Princeps,
Ut eo, quo poſſet majori nitore
Sacra perficeretur Apotheoſis.
Hinc è terris feſtinâ morte avulſus
Princeps cœlo dignior,
Quàm terrâ,
Comitem accivit Cajetanum,
Qui, ut gratitudinis vices rependeret,
Crediderim
Eaſdem addidiſſe alas,
Quas olim divinus Amor
Suo affixerat cordi.

Cuar-

Digitized by Google

Quarta Inſcriptio.

Penſilis è ſummo vertice alterius Aræ lateralis ſacræ Familiæ Servatoris Chriſti dicatæ Pietatem indicabat, quam Pientiſſimus Princeps in Cœlites omnes eo, quo poſſet ferventiori affectu excoluerat. Præſertim in Deum ſuprà omnia; cujus Voluntati ità ſuam agglutinaverat, ut propriam ſibi fecerit; nec hilum à Divinis deflexerit Præceptis: & Virginem Matrem, cui in omnibus obſequi ſemper ſtuduit.



Deo, Virgini Matri,
Ac Cœlitibus omnibus
Mancipatus Pientiſſimus Princeps,
Ut pectus divino impleret Amore
Amorem ſui à ſe procùl expectoravit.
Nimirùm affectus omnes
Ita ſuperis agglutinavit,
Ut nihil habuerit in terris,
Quo à Deo averteretur,
Nihil, quo ad fluxa mundi commoda
Converſus
Liliatum fœdaret defæcatiſſimi cordis
Candorem.
Divini Solis emiſſum in terras Radium,
Si dixeris; hàud facilè erraveris,
Cœnoſos Telluris tramites,
Ità luſtravit,
Ut nullam, quâ deturparetur
Labem contraxerit.
Nullis niſi in Deum illatis
Lædi potuit injuriis.
Nec aliis exhilarari honoribus,
Quàm Cœlitibus collatis,
Quibus cultum, quem poſſet majorem
Semper exhibuit:
Ratus
In Principe nil poſſe ſpectari altiùs,
Nilque digniùs.
Hinc Pietati Aſſuetus virtutum omnium
Inolitam conſuetudinem

Al-

Digitized by Google

Alteram ſibi conſtituens Naturam
Cœlo magis, quàm terræ vixit.
Deum ubique reveritus præſentem;
Ubique
Singularis veſtigia Pietatis
Impreſſit,
Id unicè cavens; ne quid ageret,
Quod Deo gratiſſimum non foret.
Quos Superis
Morum candore charos noverat
Non ſolùm beneficiis cumulavit;
Sed in ipſis totus viſus eſt deſiiſſe,
Peripateticum comprobatus Axioma,
Quo à Simili Similem
Amari dicitur.
Demùm nobiliori parte ſui
Nobis ſublatus,
Æterna donatus Felicitate
Cœlitibus adſciſcitur;
Quos ad ſimilitudinem uſque
Oris, & Moris
In terris expreſſerat.

Quatuor, quæ ſequuntur Inſcriptiones cum ſuis ſymbolis, intercolumnaribus affixæ ſpatiis ad Proſpectum Tumuli millenis quaquaverſùs irradiati funalibus alludebant ad Mauſoleum Parentale FERDINANDI MARIÆ *Principis Pacifici.*

Quinta Inſcriptio.

Alludebat *ad funalia accenſa* circùm Parentale Mauſoleum.

FERDINANDI MARIÆ *Principis Pacifici.*

E M B L E M A.

Cœlum nocturnum, cujus micantia ſydera decidui roris lacrymulis, quaſi videantur Solis occaſum plangere; ac illi lugubri umbrarum peplo obducta parentare.

Epigraphe.

Hac luce parentant.

Lu-

Luceant Funalia lugeant,
Intimique mœroris
Lugubre præbeant argumentum.
Vel ſi nimia præconcepti doloris acerbitas
Compreſſis præcordiis
Lamenta prohibet, & querelas;
Saltem taciti Amoris teneritudine
Cereas liqueſcant in lacrymas.
Quæ inopinatò
Mors inopina inſtituit Spectacula,
Siccis oculis ſpectanda non ſunt.
Heù lugendum Fatum!
Vix pleno lumine meridiem attigerat
Sol iſte Boicus;
Et extemplò, quam dederat
Jucundiſſimam diem.
Clauſit.
Sic Fata vices hominum exagitant.
Quidni? Prolapſo in Mortis occaſum
Boico Sole.
Æquum eſt, ut exortæ hâc in mole
Stellarum Myriades
Funereas inter Manium umbras
Ineluctabili Parentent Jacturæ.
Communis lætitiæ dies abiit:
Nox atra triſtitiæ
Omnium occupet corda.

Digitized by Google

Sexta Inſcriptio.

Alludebat *ad lectum doloris* defuncti Principis Electoralibus exuviis conveſtitum intrà concameratum Mauſolei hiatum, ubi flammifera ſurgebat moles.

E M B L E M A.

Calvaria cum angue in ſpiras revoluto, cranio inſidente, quem ex cadavere naſci tradunt.

Epigraphe.

Humana Conditio.

Squa-

Digitized by Google

Squalore obſitus, mœrore compreſſus
Lugeto quiſquis es.
En: inopino Fato jacet extinctus,
Qui Stans
Ubiquè Terrarum Famam accenderat.
Nitidiſſimus Principum Splendor
Ferales abiit in umbras
Ineluctabilium Manium.
Chriſtiani Orbis Ornamentum
Mors præmatura
Suo devenuſtavit pallore,
Obduxit peplo.
Qui totus amore virtutis
Exarſerat
Exiles deſiiit in cineres.
Quæ circùm *doloris lectum* ornamenta
Vides;
Nobis abreptæ Virtutis
Superſtites ſunt exuviæ,
Quas Pientiſſimus Princeps
Lugentibus concredidit Præficis.
Ne incitamenta tibi deeſſent
Pietatis.
Quam cùm in terris viveret
Ore docuit, More coluit.
Nudatus enſis anſam porrigit
Bellum ineündi
In turgidas vitiorum phalanges,
Aurea, quæ pendent calcaria
Ad victoriam ſtimulant.

Digitized by Google

Septima Inſcriptio.

Alludebat ad totam flammiferam molem non extincto, ſed Terris abrepto *Principi* Parentantem.

EMBLEMA.

Corona pendula omni gemmarum genere ornata, ſyderibusvè circumfaſtigiata.

Epigraphe.

Vigilantibus.

Quam

Digitized by Google

Quam vides molem
Penſilibus irradiatam flammis
Mauſoleum credas,
Non extinctæ, ſed nobis abreptæ
Virtutis.
Cohibe luctus, abſterge lacrymas,
Plangenda non eſt Mors,
Quam vita bona præceſſerat.
Licèt repentino Fato
Fuerit hìnc dimiſſus *Princeps Pientiſſimus*,
Nihil indè amiſit,
Quià Deo ſemper vixerat.
Principatum mutare potuit,
Nunquàm perdere.
Hìnc Æthneam molem hoc in funere
Novis voluit ignibus excitare Vulcanus,
Ut Terris Parentalia; Cœlis Triumphos
Cuderet.
In conos, ſi eriguntur flammulæ
Adeptæ jam gloriæ ſunt Monumenta.
Exurgentem Molem ſi cingunt,
Defunctum coronant.
Liquentia ſi lacrymantur funalia,
Terræ obſequuntur mœroribus.
Illuminare Quisquis es
Ad has funereas faces,
Et ità vive:
Ut Moriens non te pœniteat
Vixiſſe.

Digitized by Google

Octava Inſcriptio.

Alludebat ad ſimulacra virtutum omnium, quæ circùm baſim Parentalis Mauſolei doloris ſenſum vultu, geſtuque ſignificantes ſuum *Cultorem, ac Fautorem Principem* Terris ereptum plangebant.

E M B L E M A.

Heliotropium Flos inſequens Solem.

Epigraphe.

Non inferiora ſequutus.

Lugu-

Digitized by Google

Lugubri atrati peplo
Funereis pullati Manium umbris
Adeſte Virtutum Chori.
Inexorabilis Parca, neque in ipſo ætatis flore
Veſtro pepercit *Cultori.*
Unico pulſu
Vobis conſonas fides omnes diſrupit.
Diſſonis nunc Citharis
Ad lugubres ſuſpiriorum, luctuumque notas
Querula depromite modulamina.
Lamenta edite, lacrymas fundite,
Triſti replete has Aras clangore.
Excipiat ſinuoſis cœlorum anfractibus
Echo
Ferales ejulatus veſtros,
Et repercuſſu numeroſo pronuntiet,
Nuntiet Virtutum omnium
Fautoris, & *Cultoris.*
Parentalia.
Heù fugacem terræ *Lætitiam*!
Princeps unicum quaſſatæ Europæ *Solatium*,
Publicæ Quietis *Vindex*, profugæ Pacis *Aſſertor*
Terris ſerò datus, citò ereptus,
Nil niſi lacrymas nunc parturit.
Sic rerum humanarum volvuntur Vices.
Qui ſummum Felicitatis apicem attigerat,
Momentò deſinit.
Hoc unicum illi optimum,
Quod non inferiora ſequutus
Superis adſciſcatur.

Qua-

Digitized by Google

Quatuor Scuta faſtigiis affixa quadriparti hiatus, ubi infernè Parentale Mauſoleum *Lectum doloris* complectebatur totidem exhibuerunt Inſcriptiones cum Coronis, quas olim Romani Virtuti præmia conſtituerant, addito unicuique earum lemmate alludente ad Defunctum *Principem.*

Nona Inſcriptio.

A fronte, quà Moles flammifera ad Aram Maximam vergit.

Corona Querna.

Hoc Lemmate.

Civium Servatori.

In-

Digitized by Google

Inſerat Bavaria mœrens
Ferales Ferdinandi Mariæ Oleæ Cupreſſus.
Deſolatiſſimus lugeat *Populus*
Non delapſum in terras Phaetontem,
Sed nitidiſſimum Principum *Solem*.
In ſepulchrales extemplò ſolutum cineres.
Hic
Ad ſummum Felicitatis evectus faſtigium
Momentò in Occaſum deverſit.
Zodiacum eâ cucurrit Æquitate,
Ut à Libra nunquàm diſceſſerit.
At
Qui collatis beneficiis, elargitis ſtipendiis
Nubilos ſerenavit Animos
Pluvias nunc excitet omnium ab oculis.

Decima Inſcriptio.

A dexterâ, quà Parentale Mauſoleum vergit ad Aram *D.Cajetano* Sacram.

Corona Laurea.

Hoc Hemiſtichio.

Sui, & Erebi Triumphatori.

Laxo

Digitized by Google

Laxo hoc in Templo
Electorali Munificentia
Ad ultimas elegantiæ metas perſoluto,
Quod FERDINANDUS MARIA
Utriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus
Dux
S.R.I. Archidapifer, & Elector
Voti compos,
Pientiſſimè Gratiſſimi Animi cauſa
D. Cajetano in Terris Gloriæ Monumentum
Devoverat:
Eundem
Maximilianus Emmanuel Mœſtiſſimus *Filius*
Eidem concredidit Cœliti,
Ut, qui *Filium Patris* ad votivas preces
Terris dederat.
Patrem Filij deſolatiſſimi ad lacrymas
Cœlis donet.

Digitized by Google

Undecima Inſcriptio.

A Læva, quà moles vergit ad Aram ſacræ Familiæ.

Corona Aurea.

Hac Epigraphe.

Æterna Felicitate Donato.

Æmu-

Digitized by Google

Æmulamini Prædivites Proceres,
SERVATORIS CHRISTI *Quæſtorem* emeritum.
Hic auſu, non tamen temerario, quia pio,
Beneficiis cum cœlo certavit.
Labentes Familias aureo ſuffulſit ſcipione,
Mœrentium luctus profuſo ære extinxit,
Omnes cumulavit beneficiis,
Etiam Cœlites, quibus Templa devovit.
Domos conſtruxit.
Omnibus profuit, Nemini obfuit.
Hoc tamen mirum.
Quod cum à Deo accepta, ſic prodegerit,
Vel in minimo *Quæſtor* fuerit fidelis;
Et ideo ſuper Maxima conſtitutus.
Aliena non rapuit,
Tantùm Tempori eripuit
Quidquid utile crederet *Æternitati*,
Cuius Felicitate donatum
Cenſemus.



Digitized by Google

Duodecima Inſcriptio.

A facie, quà Moles vergit ad Templi inferiorem Navim.

Corona Oleis intexta.

Cum Lemmate.

Publicæ Pacis Aſſertori.

Com-

Digitized by Google

Commota Armorum Fluctibus Europa,
Per Septennium, niſi procellas eſt paſſa.
Sola quieverunt *Ferdinandi Mariæ* Arma,
Quæ militum octodecim millia occuparunt,
Ad Pacis duntaxàt tuendam *Securitatem*.
Non tamen in Pacis otiis
Otioſum *Principem* credas.
Totidem laboribus ſacravit annos,
Vt procellas ſedaret,
Quot impendit Mars, ut excitaret.
Legatos magnorum Arcanorum conſcios miſit,
Admiſit
In rebus agendis Prudentiſſimos,
Quos Orbis Oracula, & Cardines dicas.
Martis, an Jani Fores clauderet,
Auguſto ſimilis ſemper fuit.

Inſcriptio Tertia decima.

Affixa coronidi interioris faciei ad majorem uſque januam pendula inter gemina Mortis ſimulacra, DIADEMATA, SCEPTRA, VEXILLA, STEMMATA GENTILITIA, ORBES, vibrata falce retundentia *hiſce Hemiſtichiis. Omnia cedunt. Omnibus una* Templum ingredientes,&egredientes ad luctus, & lacrymas concitabat, Inſidas Humanarum Rerum Viciſſitudines, Regnorum Cataſtrophe, Magnorum Principum poſt Fata exilitatem oculis ſubiiciebat. Ad Pietatem ſtimulos; & ad Mundi contemptum addebat incitamenta.

Cu-

Digitized by Google

Cubate Tumulis
Mœſtiſſimi Cives, Populi deſolatiſſimi,
Nubilo obſiti ſqualore pluviis oculis
Extincto Parentate *Sereniſſimo.*
Hunc
Intempeſtivus Turbo extemplò decuſſit,
Et quem ferebatis in corde
Momentò è veſtris eripuit oculis.
Quæritis,
Quò tàm feſtinè abierit?
Mortalitate exutus
Has inter Manium umbras Spolia depôſuit;
At non ideò nudus *Superos* petiit
Princeps omnigenâ chlamydatus virtute.
Heù infidas rerum vices!
Qui pridiè fuerat in terris *Maximus*,
Poſtridiè eſt *Nihil.*
Ite nunc *Magnarum rerum* Molitores
Prægrandem elatis cogitationibus *Animum* implete.
En Humana Quæque,
Pulvis, Umbra, Nihil.
Principum Magnitudinem mentitur Fama,
Eorum teſtor ſuperſtites cineres.
Vbi nunc
Tot Cæſarum, Regum, Ducum,
Purpuræ, Diademata, Chlamydes?
Quotquot Fortuna evexit, in tumulis Fatũ depreſſit,
Vbi æquant inæqualia Manes
Sceptra Ligonibus.

Ceſſerunt Fato, etiam qui nulli ceſſerunt,
& in Nihilum abierunt,
Qui totum terruerunt orbem.
Fingite mundi Regna
Eorum circumſpicere cineres,
Et teſtabuntur Se de nihilo trepidaſſe
Sic ſors vertitur hominum.
Momentò extinguitur, qui ubique terrarum
Gloriam accenderat.
Quotquot enumerat mundus partes
Impleverat FERDINANDI MARIÆ Fama
Ob ſervatam *Sibi*, & *ſuis* Quietem
Tot inter Europei orbis diſcrimina.
Ejus in re militari potentia
Exteros terruit.
Amicum *Omnes* ſibi deſiderarunt,
Inimicum *Nullus*.
In hoc ſuprà *Maximos* habitus,
Quod ferreo ſæviente ſæculo,
Aurea acciverit ipſe tempora,
Ac lætiſſimas coluerit Oleas,
Reſecante ubique terrarum Bellona
Cupreſſus.
At ubi nunc Principum Maximus?
En vix Cotylam implet.
Exilitatis veſtræ eſtote memores,
Qui ſceptra tractatis
Cæſares, Reges, Principes.
Exiguus FERDINANDI MARIÆ cinis
Memoriam juvat.

In-

Digitized by Google

Inſcriptio Quarta decima.

Legebatur pendula è ſuperiori Fornice minoris Ianuæ lateralis à dextra ex parte interiori.

FERDINANDUS MARIA Princeps Pacificus
Gratiæ,& Naturæ donis cumulatus
Utrique plurimum debuit.
Hunc
Gratia cœlo, Natura Terræ deſideraverat,
Illa in Cœlitum Principem: Hæc in Principũ Decus,
Neutri ne videretur defuiſſe,
Unico munere utrique ſatisfecit,
Cum mortalitatis Impatiens
Naturæ Authori, quod à Natura acceperat
Reſtituit.
Quid Natura conqueratur, non habet,
Quia Authori ſuo nobiliorem dedit partem ſui.
Quid lætetur Gratia habet,
Quia terris eripuit,
Quem cælo agnoverat digniorem.
Verè Princeps in omnibus Pacificus
Qui etiam diſſidia Naturam inter,& Gratiam
compoſuit.

Inſcriptio Quinta decima.

Pendebat è ſuperiori faſtigio ſuprà alteram minorem Ianuam ex interiori parte.

Magnum FERDINANDI MARIÆ Animum
Oleâ coronemus, & Lauro.
Nec mirandum;
Si Næniis Laurum inſeramus,
Quæ Epiniciis aſſueta
Victoriis tantùm gaudet, ac triumphis copulari.
In hoc fraudulento cum Morte conflictu
Nullam paſſus eſt jacturam
Prægrandis Pacifici Principis Animus.
Si ſolutum corpore dicis,
Liberior æternùm vivet.
Sine laureo ſerto non debuit hìnc dimitti
Tot triumphis celebris,
Quot profligatis vitiis Innocens.
Nequè terris Totum cenſeas ereptum.
Licèt mortuus, non tamen omnis.
Potiores ſui partes Libithinam vitarunt
Virtus, Nomen, Gloria;
Quibus inter Mortales non moriturus
Vivet.

FER-

Digitized by Google

FERDINANDI MARIÆ,

Vtriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Ducis, Comitis Palatini Rheni, Sacri Romani Imperii Archidapiferi, & Electoris, &c.

Vita, & Virtutes.

Emblematis delineatæ, ac Elogiis explicatæ In Parentalibus *Eidem* Decretis.

A

MAXIMILIANO EMMANVELE

Filio, & Hærede.

MAximas Pientiſſimi Principis laudes, quæ ſumma attigerunt Virtutum faſtigia, quià depromere ſola non poterat *Lapidaria Eloquutio*, auxiliariam accerſivit *Symbolicam*, quæ tanto Molimini

Digitized by Google

mini ſuppetias ferret pictis Eruditionum involucris, quibus ſenſus blandiùs alliceretur, & Animus diutina interpretatione ſuaviùs defatigaretur, ut per ea, quæ ſub ſenſus cadunt exteriores; & in mentis receſſus gratiori perfunduntur illicio, diutiùs hæreant animo nunquam intermoritura Maximi Principis ſummæ Virtutes. Hoc peculiaris præſtat *Ars Symbolica*, ut per pictas Rerum imagines quâdam deliciarum perfuſione in animos illabatur. Quemadmodum multa per vitrum, vel ſuccina pellucent jucundiùs, ait D. Auguſtinus; *ità magis delectat Veritas per imagines, ac ſymbola collucens.* Deſiderabantur delineata Virtutum Emblemata ad abſolutum laxi Templi ornatum; cujus Ambitus à coronide infrà teſtudinem ad lithoſtratum uſquè lugubri obductus panno ſymbolorum frequentiis mœrorem incutiebat quodam attemperatum picturarum oblectamento. Non tamen in animo fuit utriuſque Facultatis, Lapidariæ, & Symbolicæ ultimas Defuncti Principis attingere laudum metas, ac totam ejus metiri gloriam; ad id aſſequendum nunquam vires ſuffeciſſent. Arduum eſt oculos in Solem figere meridiana luce, plenoque jubare coruſcum; & caligines, vel ab ipſis ſplendoribus non contrahere; cùm ſydera ipſa, quæ nimio auſu cominùs hunc Planetarum inſequuntur Principem perpetuâ cæcutiant eclipſi. FERDINANDUM MARIAM Principum *Solem* tot locupletem radiorum nitoribus, quot virtutum incrementis clarum, per innumeras annorum ſeries venerabitur Poſteritas.

Digitized by Google

tas. Quia verò plenum Præclariſſimi Principis non valemus jubar exhaurire; nec abſolutum poſſumus exemplar ſuo Archetypo exhibere conſimile. Naturæ limites ope ſuffultus Divinæ Gratiæ, quâ pleno ubere ejus irroraverat liliatus Animus, omnes prætervolavit, noſtroſque humi repentes tranſcendit obtutus. Debuiſſet ex Cœlitibus acciri Encomiaſtes, qui ſummas recenſeret Principis Virtutes, quas docente Magiſtra Gratia ex intimo Animi ſuggeſtu, didicerat in Pietatis lyceo. Nos impari colore Hujus Principum Maximi virtutum, ac vitæ delineantes hiſtoriam quandam duntaxàt exhibemus graphicem, & corrigendam & perficiendam; nunquam tamen humanitùs omnibus abſolvendam numeris. Laudari nunquam ad condignum poterit Dux Sanctiſſimus, Elector Æquiſſimus, Princeps Pacis, Pater Aurei Sæculi, Culmen Pietatis, Columen Religionis, Nitidiſſimnm virtutum omnium Iubar, Propugnator Innocentiæ, Hoſtis Impietatis, Speculum Modeſtiæ, Norma Imperantium, Pacis Vindex, Publicæ quietis Aſſertor, Gloria noſtri Ævi, Futuri Exemplum.

ELO-

ELOGIUM I.

FERDINANDI MARIÆ Natalia diù concupita ad Populorum quietem, Motusque, qui imminebant armorum coërcendos: tandem MAXIMILIANUS Utriuſque Bavariæ,& Superioris Palatinatus Dux,S.R.I. Archidapifer, & Elector,&c. ſui ævi Salomon jam ſenio confectus ex MARIA-ANNA Auſtriaca FERDINANDI II. Imperatoris Filia annuente Deo publicis Populorum votis communi prodidit lætitiæ.

EMBLEMA.

Adamas aureo inſerendus anulo. Adſtruunt Plerique cum Plinio Adamantem Lapillorum pretioſiſſimum omnibus ſuis non perfici numeris, niſi poſt longas annorum ſeries. Conſonat vulgatum Adagium *Pretioſa tardè matureſcunt.* Symbolum ſanè FERDINANDI MARIÆ *Principum Maximi* diù concupiti,& ſerò dati.

Epigraphe.

Poſt tempora multa.

MA-

Digitized by Google



MAXIMILIANO
Ævi ſui Salomoni
Liberos indulgêre,
Ad ultimum uſque labentis vitæ ſenium
Provida ſi diſtulerit Natura:
Non diuturnæ id cenſeas probrum ſterilitatis,
Nec infœcundi convitium uteri.
Sapientis optimum eſt conſilium,
Opus diù maturare,
Ut niſi perfectum in lucem prodeat.
Non quæ citò, ſed quæ benè abſolvuntur.
Hæc duntaxàt laudantur.

Optimi Principes, uti Adamantes
Lapillorum pretioſiſſimi,
Multorum annorum juſti ſunt labores.
Pretioſa rara ſunt
Et ideò niſi ſerò donantur.
MAXIMILIANUS ſapientiam adeò calluit,
Ut uno omnium ore
Germaniæ SALOMON diceretur:
Sapientum more
Opera editurus in Liberis præclariſſima,
Ac numeris omnibus abſoluta,
Niſi ultimo jam confectus ſenio
Publicæ demandavit luci.
Quia parere noluit, niſi æternùm victuros,
Diù coactus fuit cogitare,
Quos pareret.
Cæſarem æmulatus, & calamo, & enſe,
In utroque ſemper Auguſtus,
Et Pacis Oleâ, & Belli Palmâ
Floruit.
Pacis tamen commoda,
Ancipiti Martis Gloriæ, quia prætulerat,
Maluit Hæredem habere *Pacificum*
FERDINANDUM MARIAM Principem Pacis.
Cenſeatur annus iſte Germaniæ Jubilæus,
Cui Deus ita ſolemnem conceſſit
In iſto Principe Indulgentiam.
Enixa eſt *MARIA-ANNA* unico in Fœtu
Pacis Vindicem, Quietis Aſſertorem, Columen
Religionis,

Vir-

Virtutum exemplar, Principum Normam.
Quieſcant jam Armorum ſtrepitus,
Sileant Bombardarum tonitrua,
Et Europa commotas ſuas componat procellas,
Caduceator Princeps Mundum ingreditur
Pacis jura propugnaturus.
Adſit tamen hiſce Natalibus
Vulcanus,
Non amplius Fulminum, ſed Faber Gaudiorum
Catenas cudat,
Quibus Mars ipſe præpediatur.
Nato *FERDINANDO MARIA*
Nata eſt Pax, ſuſpenſa ſunt arma.



ELOGIUM II.

FERDINANDUS MARIA ab inëunte ætate puerilia quæque reſpuens ludicra ſummis aſſueſcit virtutibus

EMBLEMA.

Aquila Jovis Aliger ſurſum Solem versùs volitans. Nullam adeſſe è volucrum turmis,quæ tam blandè alliciatur, tam perjucundè Solari capiatur radio ſicut Aquila nemini in dubium vertitur. Vix edita Matrem inſequuta primos volatus ad Solem explicat, & adhuc tenellos obtutus in Solis jubar eius illecta lumine figit. Symbolum ſanè *Sereniſſimi Principis FERDINANDI MARIÆ*, quem à prima ætate illapſum Divinæ Gratiæ lumen adeò ad Numinis allexerat cultum, ut à mundi illecebris abhorrens Pietatis impensè vacaverit ſtudiis.

Epigraphe.

Allecta lumine ſurgit.

In-

Digitized by Google



Integritatem mutilam ſi audias,
Paradoxon ne cenſeas.
FERDINANDI MARIÆ Electoris
Si ſpectes vitam, anceps non eris.
Hæc licèt integerrima ſemper fuerit,
Mutilam tamen dices,
Quia infantia caruit, & ſenio.
Medium docet Magiſtra Virtus,
Quos egregios habet Alumnos
Ab utroque ſtudet ſemovere extremo.
Quos Deus Heroas Mundo donat
Decet puerilia neſcire.

Digitized by Google

Nec diù in terris detineri poſſunt,
Cœlo digniores.
Pientiſſimus Princeps
In ipſo adhùc ætatis flore nobis abreptus
Florentiſſimum ver, quod in terris periturum
Inchoaverat
Maluit in Cœlis æternùm manſurum
Continuare.
Diù non poterat hìc inter homines degere,
Quem Cœlites cœperant,
Vel naſcentem virtutum illicio attrahere.
Prima vitæ rudimenta
Si attendas,
In ipſis præter annos, nil invenies,
Quod appellare tenerum poſſis.
Eius Infantia
Nihil dedit, exhibuit nihil
Quod ſuprà infantiam, ſupra ætatem non fuerit.
Princeps antè maturus, quàm adultus
Culturam omnem præveniens,
Cùm ne quidem alii verniant, ipſe autumnavit,
Nimirùm Aquilam Jovis volucrem
Æmulatus
Divinæ Gratiæ allectus radio
Illi ſe adnexuit Soli, qui nulli obnoxius eclipſi
Nec cœcutire poteſt, nec deficere.
Adeò ei adhæſerat,
Ut ab ipſo mentis acies nunquam ſejunxerit.
Chriſtianæ Philoſophiæ Gymnoſophiſta,
Vel à puero Divina duntaxàt contemplatus
Cœ-

Digitized by Google

Cœleſtibus, quià aſſueverat
Ab omnibus Mundi illecebris ſemper abhorruit.
Sordeſcunt Terrena, Cœleſtia Meditanti.
Hinc
Summa ſtatim nactus Virtutum faſtigia
Heroem voluit non minùs naſci,
Quam fieri.
Naturæ avaritiam
In ipſo correxerat liberalior Gratia.
Ut nulla recenſeri poſſet in Ferdinando Ætas,
Quæ adulta non foret.
Quem Deus elegerat in Principum Specimen,
Imperantium Normam, Mundi Exemplum,
Gratiæ voluit cumulare beneficiis.
Suſpicax Pythagoreus *FERDINANDI MARIÆ*
Ortum
Metempſicoſim diceret Henrici
Sanctiſſimi Romanorum Imperatoris.
Vtriuſque Amores, & mores ſi conferas
Non ſimiles, ſed iidem fuerunt.
Henricum in Ferdinando, Ferdinandum
In Henrico venerare.
Vterque Bavariæ Dux, uterque pius, Vterque
ſanctus fuit.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM III.

FERDINANDUS MARIA ducit uxorem HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM Natam Regiam, Sabaudiæ Ducissam, Fœminarum Principum Maximam.

EMBLEMA.

Duæ manus unà connexæ Roſas complectentes. Manus ſimul complexæ ambæ ſunt dexteræ. Altera FERDINANDI MARIÆ, Altera HENRIETÆ MARIÆ ADELAIDIS. Omen connubii, quod ſtabile, ac perpetuum expedit Symbolum. Vernantes Roſæ foliorum pompa venuſtæ, odoris ſuavitate benè olentes mutuum, ac ſuaviſſimum utriuſque Nupti amorem prætendunt.

Epigraphe.

Simul, & Semper.

Digitized by Google



Si ſibi duntaxàt uni
Vivere debuiſſet
FERDINANDUS MARIA,
Quia Princeps Hippolito caſtior,
Hymenæi tedas omnes extinxiſſet.
Sed quia ſollicita Bavariæ Spes erat,
Ut vero Patriæ Patri
Non degener ſuccederet Filius,
Maluit omnium votis annuere,
Quàm ſuo.
Optimus Princeps non ſibi,
Sed ſuis vivit.

Et bonum Principatus bono Principis
Præfert.
Inæquale Connubium
Æquiſſimo Principi, Imperanti Iuſtiſſimo,
Quia non placuiſſet,
HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM,
In qua, & Genus,& Genius,& anni pares erant
Iugalibus nodis ei adnectere
Diù moliti Parentes,
Tandèm ſecuritatem, & lætitiam
Anxiis, ut darent Provinciis,
Sabaudiam à Bavaria duci uxorem,
Utriuſque Principatus par votum fuit.
Feliciſſimo ſanè es dignus conjugio
FERDINANDE MARIA,
Qui non tàm Poſteritati tuæ
Quàm publicæ Lætitiæ, & Quieti conſulens
Æquiſſimis hiſce nuptiis
aſſenſum præſtitiſti.
Cœlo deſcende Sacer Hymen,
Hùc celer advola
Cœleſtes animas extra cœlum copulaturus
FERDINANDUM MARIAM,
Et
HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM,
Hanc Regiâ, Illum Imperatoriâ Stirpe.
Ambo in ſummis faſtigiis, vel Maximos parient,
Vel nullos.
Age jam cor geminum ſtringe,
Et vel duo in unum coge; vel unum divide
Ut

Digitized by Google

Ut alter Sponſus, niſi ex alteroſpiret.
Quid redarguis Thalami primordia,
Si annos plures fœcunditatem diſtulerint.
Prudens Sapientiſſimi *Patris* conſilium
Sequutus haud degener *Filius*
Parere noluit filios, niſi æternùm victuros.
Hos, ut omnibus abſolutos numeris
Mundo daret,
Multos maluit annos impendere.
Quæ excellent opera
Plurium annorum æquiſſimi ſunt labores.
Quæ citò abſolvuntur, citiùs pereunt.
E cœlo pro tanto molimine
Suppetias etiam votivis rogavit precibus;
Ut ſuprà homines naſci crederes,
Quos Cœlites darent.
Quantùm dilexerit Conjugem Maritus,
Hinc coniice.
Eam Mortuam, vel in ipſo ætatis flore
Eſt ſequutus.
Veri Amoris faces,
Nec Mors ipſa ſuo valuit gelu
Extinguere.

ELOGIUM IV.

FERDINANDI MARIÆ in uſu voluptatum, quas Aula, & Principatus exhibent ſumma Temperantia.

EMBLEMA.

Examen Apum Arvorum inter amœna varia florum genera exſugentium. Plura de Apum Natura, inſtituto, ac moribus habet Plinius *lib.xi. Natural. Hiſt.* Quieſcunt nocte intempeſta caſtrorum more; vigilant excubiæ ad fores, veluti in ſpeculis; nequè obſtrepunt, aut moventur; donèc una, cui id ex officio competit emiſſo gemino, aut triplici bombo, veluti buccino quodam ultimâ ex antelucanis horis ceteras excitet. Tunc omnes provolant; & ſi dies futura eſt ſerena, ac mitis (quod prædivinant, uti ventos, & imbres) eò agminatìm ſe transferunt, ubi tellus benefica vario teſſellata flore ad mella conſtruenda ſuccos exhibet ſuaviſſimos. Promicantes flores accedũt, ſinu; Induſtriæ, ac navæ inſident, ſuccos hauriunt, eâ tamen temperantia, ac dexteritate, ut videantur nihil damni intuliſſe. Symbolum *Ferdinandi Mariæ* Principis Temperatiſſimi. Deliciarum flores, quos Aula exhibuit ita ſummis, levibusvè delibavit labiis, ut vix tetigiſſe credas.

Epigraphe.

Libant non carpunt.

No-

Digitized by Google



Adeò ſuaves, ac melleæ
FERDINANDI MARIÆ palato
Opimæ Virtutum Epulæ acciderant,
Ut præ illis,
Quæ mundus exhibet ſuis deliciis
Edulia,
Vel contempſerit,
Vel leviſſimis dumtaxàt labiis
Sine noxæ ſuſpicione delibaverit.
Fartus nimirùm Cœlitum rore prægrandis animus,
Adeò Terrena quæque faſtidivit,
Vt nullo unquam potuerit voluptatis illicio
præpediri. Chri-

Chriſtianæ Philoſophiæ
Adeò ſtuduerat; adeò morum culturâ profecerat,
Ut amputatis Paſſionum ſurculis,
Vero Stoicorum Principi
Hæc una fuerit ſumma voluptas,
Omni carere voluptate.
Mellificium in ſpinis, abſinthium in blandimentis
Invenit
Verus Servatoris Chriſti Aſſecla.
Sampſone majorem diceres.
Primus eius labor fuit, & quidem egregius
Iraſcibilem ſternere, & Concupiſcibilem,
Geminam feram quovis Leone immaniorem.
Et ne ferinas inter exuvias mella deeſſent
Pacati animi aſſequitur dulcedinem.
Achille jam felicior
Totus Divina delibutus virtute,
Nec blandula allicientis Veneris ſpina,
Nec ignito cœci Cupidinis telo
Vulnerari unquam potuit.
Hiſce hoſtibus nil eſt nocentius, quàm Innocentia,
Quos ſi fugias, vincis.
At ſi ferreum animum vitio objecerat,
Cereum pectus Virtuti exhibuit,
Cui ſua quæque altè impreſſerat veſtigia.
O Laudabilem Avaritiam!
Ne minimam quidem vitæ portionem
Cælo adimeret,
Etiam à ludis, qui animum tantùm laxant
Abſtinuit.

Ra-

Digitized by Google

Rarum ſanè exemplum.
Principem egit, & munus perfecti Myſtæ
Simul abſolvit,
Cùm ludicras quaſque victimas
Vera mactavit Religione.
Sic totus Cælo in terris vixerat,
Ut nunquàm terræ adhæſerit blandimentis,
Venationibus non tàm feras, quàm otia
Inſecutus,
Lætabatur magis accurrentibus Ruſticis
Elargitis eleemoſynis, quàm capta præda.
Reſpondeat nunc profuſis Aureis
Fluxum lacrymarum Argentum,
Et lugeant omnes, quem amiſerunt
Principem, & Patrem.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM V.

Commendatur mira in agendis Pacis negotiis FERDINANDI MARIÆ Prudentia.

EMBLEMA.

Solares radii è cavo Speculo in unum coëuntes ad comburendum Martis inſignia, armorumvè faſcem. Symbolum *Ferdinandi Mariæ* aſſumitur Speculum politum, terſum, nulla infectum macula. Pacis negotia per emiſſos è Sole radios explicantur; quippè ad ſerenandos animos, ad diſpergendas Europæ procellas inſtituebantur. Flagrantia Arma, cinefacta Bellonæ ſtemmata ſervatam ſibi, procuratam, & ſancitam aliis protendunt Pacem.

Epigraphe.

Hùc omnia tendunt.

Quan-

Digitized by Google



Quanta fuerit
Tot inter Chriſtiani Orbis diſcrimina
FERDINANDI MARIÆ *Electoris*
Prudentia,
Suis exhibet Boiaria gaudiis.
Unica è tot Germaniæ Ditionibus
Lætata eſt,
Se Pacis floruiſſe oleâ,
Servatæque quietis viguiſſe commodis,
Diſſidebant odiis.
Etiàm cognata Principum Capita,
Et commotæ Armorum procellæ,

k Inte-

Integras quaſſarunt propè naufragium Provincias.
Ubique terrarum
Reboarunt bombardarum tonitrua,
Nec alias dederunt terris pluvias,
Quàm ſanguinis.
Furentis fulmina Bellonæ
Ubique cædes, ubique clades
Impreſſerunt cruentas, patrarunt enormes,
Et ſatæ, quæ fuerant ſauciis cadaveribus
Feraces Aruorum planities,
Niſi ferales progerminarunt in cupreſſus.
Cædebat omnia gladius, cedebant omnia gladio.
Non Martem in terris pugnantem,
Sed Jovem diceres
Etiam Titanas non impunè fulminantem.
Plumbeam Hic excuſſit de ſagulo grandinem,
Quæ in ſubitariam furens procellam
Immaturam ante vindemiam protrivit vitam.
Quotiès tempora talibus ſunt fœda nubibus,
Niſi lacrymarum Cataclyſmi,
Vel pluviæ expectentur ſanguineæ
Ad orbis perniciem, ad hominum interitum.
Hiſce procellis ſævientibus.
Prudentiſſimi Solertia Principis
Non turgidas ſolùm nubes coërcuit,
Ne Boiarici Cœli fœdaretur Serenitas;
Verùm ſeptennalem impendit laborem,
Quo armorum motus,
Quibus univerſa propemodùm fluctuabat Europa
Sedaret.

Et

Digitized by Google

Et diù concupitam daretSerenitatem,
Quam tandem pacis malaciâ invexit.
Tanti laboris præmium retulit Pacem,
Et in Pace Victoriam.
Bonorum Principium
Optimos eſſe Principes credas,
Quibus cura eſt
Languentium Populorum ſanare ægritudines,
Et quæ imminent mala coërcere.
At Heu!
Lugete Cives lacrymarum imbres fundite;
Serenitatem,
Quam non turbavit *Mars*, rapuit *Mors*.

ELOGIUM VI.

FERDINANDUS MARIA Princeps Modeſtiſſimus ſummas virtutes, quibus excelluit, quantùm potuit mundo occuluit.

EMBLEMA.

Concha Marina Orientalis clauſa intùs pretioſiſſimis referta unionibus. Summum pretii culmen tenere Margarita multiplici circumveſtita cute ex eo deprehenditur facilè, quod nuſquàm à ſua deciderint æſtimatione. In ſinu naſcuntur concharum; quæ uti refert Plinius *Lib. 10. Natural. Hiſt.* ubi genitalis anni ſtimulaverit hora , ſeſe quadam oſcitatione pandentes roſcido implentur conceptu, quo dein uniones enituntur juxtà qualitatem ſuſcepti roris, qui ſi purus influxerit fœtus candore pellucent pretioſiores. Hoc tradunt habere peculiaris conchyle,quod ſi furtivas præſentiat manus ſeſe comprimat, opeſque ſuas operiat. Symbolum FERDINANDI MARIÆ, qui Divinæ Gratiæ perfuſus rore ſummas enixus eſt virtutes unione quovis pretioſiores. Has ne vana furtìm gloria perderet; Sapiens , ac Modeſtiſſimus Princeps mundo ſemper occuluit.

Epigraphe.

Optima quæque latent.

Nove-

Digitized by Google



Noverat conſilia Principum
Tandiù tuta, Quandiù tecta.
Virtutum theſauros, quibus diteſcebat
Creſo Felicior
Humano quovis conſilio, & Imperio,
Quia pluris fecerat
Pro viribus ſemper occuluit,
Et melior eſſe maluit, quàm videri,
Ratus
Incrementa virtutum tutiùs poſſideri,
Si ſolis Cælitibus pateant.
Quæ in animum jacimus virtutum ſemina,

Diù non jacent, niſi tecta perficiantur.
Segetum imitantur primordia,
Quæ ſi occata tellus intùs non foveat,
Priùs ſeneſcunt, quàm aucto virore adoleſcant.
Nimis pretioſa eſt virtus.
Malè ſibi conſulunt, qui hanc omnibus produnt.
Quos in animo fœtus parturit
Sydera diceres cœli nitidiſſima,
Quæ clareſcunt tenebris, tenebreſcunt claritate.
A Mundo recedat, qui ad Deum accedit,
Laudari ab hominibus nō curat verâ Dignus laude.
FERDINANDUS MARIA
Quia modeſtiā Chriſtianæ humilitatis pediſequam
In ipſo coluit dignitatis apice,
Ab omni ſemper abhorruit hominum laude,
Et *Laudatores* iiſdem elementis *Adulatores*
Anagrammaticè ſemper redarguit.
Licèt feraciſſimam laudum ſegetem
Excultis exhibuerit virtutibus.
Facundiam tamen in hac uberrima meſſe
Semper coërcuit,
Ac Tantali pœna multavit.
Humanæ nunc parce conditioni
Princeps modeſtiſſime
Vetitas poſt tua Fata nitimur in laudes,
Et tua obliviſcimur juſſa,
Dùm prægrandia tua meminimus merita.
Quas nobis modeſtia tua laudes prohibuit
Ad ipſas nos reverentiæ affectus ſtimulat.
Licèt obedientiam violemus.

Non

Non indè nos pœnâ multabis quamvis humanitate
Exutus.
Cœlites, quibus Te, ut cenſemus, adnexuiſti,
Non poſſunt, niſi juſta velle.
Digna laude cum ſit Virtus;
De tua potiùs debes virtute conqueri.
Licèt in ſupremo principatus faſtigio
Fueris ſine faſtu.
Non tamen ſine laude in gloriæ apice moraberis.
Sit mortalis vita, utì Mare,
Suis obnoxia, & malacijs, & procellis,
Si Te Conchyle divino imbutum rore
Dixero, haud facilè erravero.
Pretioſos concepiſti Virtutum uniones,
Ne ad Superos petiturus,
Tibi deeſſent Diadematis ornamenta.
At Luctus edat Terra, lacrymas fundat,
Principem omni margarito pretioſiorem
Clepſit furtiva Mors,
Totumque orbem depauperavit.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM VII.

Laudatur FERDINANDI MARIÆ ſingularis CLEMENTIA, quà Clementiſſimus Princeps ſupplicia peroſus ad veniam ſemper fuit pronior, quàm ad pœnas infligendas.

EMBLEMA.

Elephas telis ſaucius. Mira ſunt, quæ de Elephante traduntur. Præ ceteris animantibus dicitur ad hominis naturam, inſtinctum, & mores proximiùs accedere. Adſtruit Plinius *lib. VIII. Natural. Hiſt.* Elephantem intellectu pollere, diſcurſus texere, voluptate ex aſſequuta gloria affici: immò (quod etiam hominibus rarum) Probitate, Prudentia, & Æquitate excellere: ſydera etiam, Lunam, Solem quâdam Religionis ſpecie colere, venerari. An hæc veritati conſonent non eſt præſentis Inſtituti decidere. Certum eſt præ ceteris dotibus maximè in Elephante commendari Clementiam: quippè homini in ſolitudine obvio, & fortaſſis oberranti viam demonſtrare fertur; immò etiam nocenti parcere, & telo confoſſum non iraſci. Symbolum FERDINANDI MARIÆ Principis Clementiſſimi, qui ità ſtuduit omnibus prodeſſe, ut nulli unquàm obfuerit.

Epigraphe.

Nec læſus concitat iras.

Ami-



Amicitias beneficijs ſtabiliri, qui cenſetis;
FERDINANDI MARIÆ *Electoris*.
Mores æquè imitemini, ac amores.
Hi quià Majeſtate, & Amore foventur,
Omnium animos, etiam feritate incultos
Alliciunt, ſibique illigant.
Nil arctiùs hominem homini agglutinat,
Quàm Amor, & Beneficium.
Duplici hoc nexu etiam ferina corda
Cicurantur, vinciuntur.
Qui in ſolio ſedentes Principes
E ſummo Cæli vertice tonantem agunt Jovem

 Per-

Digitized by Google

Perdere poſſunt, non ſibi Populos lucrari.
Eſt Princeps Reipublicæ Sol
Omnium debet nubilos ſerenare animos.
Plenoſque beneficiorum radios emittere,
ac æquè impartiri.
Omnibus prodeſſe, obeſſe nemini.
Sic Populorum foventur amores,& augentur.
Cum Principe æquo jure ſceptrum
Amor,& Clementia tractent.
Optimi Imperantis egregiam Ideam ſi aves,
Habes in FERDINANDI MARIÆ Regimine,
Ità imperavit, ut cum Ipſo dicas,
Clementiam regnaſſe.
Paucorum ſupplicio utilis fuit univerſis.
Flagitia non minùs peroſus,ac ſupplicia,
Iniquorum pœnitentiam maluit, quàm multam.
Licèt placatus nunquàm fuerit cum ſceleribus,
Adhùc cum ſceleratis mitis voluit
Et videri, & eſſe.
Hac arte Optimus Princeps
Fractos malo genio animos integritati reſtituit,
Nocentes reconciliavit innocentiæ.
At heù!cœcam,qui fingimus Libithinam:
Vidit Hæc Clementiam in terris regnantem
Parentem Gratiarum optimam,
Hanc extemplò evertit;
Ut ſpem omnem perimeret humanitatis,
Actum eſt de vobis,terrarum Incolæ:
Parcam nunc credite inexorabilem,
Quæ nec Clementiæ pepercit.
Inter ſylvarum amœna hora ſecunda pomeridiana
Aucu-

Digitized by Google

Aucupio delectata
Suis irretivit Clementiam pedicis,
Et nobilem momentò prædam interemit.
Princeps Clementiſſimus aſſuetus injuriarum
Oblivione
Etiàm ora oppilare lividorum,
Nec impetenti Morti verbum unum objecit.
Heù ferales lucus! Heù luctuoſæ Sylvæ,
Quàm citò triſtes abijſtis in Cupreſſus,
Et ingeminatis volucrum cantibus
Lugubri Echo
Diſruptis reſpondiſtis Planctibus,
Sic ſors vertitur hominum.
Qui hodiè cenſetur Maximus,
Cras eſt nihil.

ELOGIUM VIII.

Commendatur Amor, quem *Ferdinandus Maria* fovit ergà Subditos.

EMBLEMA.

Pelicanus Avis Ægyptia vulnerati pectoris effuſo ſanguine alimoniam ſemiextinctis pullis ſuppeditans. Nulla ſignatur ex Volucrum turmis, quæ tam ſincero, quos peperit pullos proſequatur amore, ſicut Pelicanus. Si fames urgeat, ſi neceſsitas poſtulet inflicto vulnere ſanguinem expectorat, ſibique vitam adimit, quàm filiis impertiatur. Symbolum *Ferdinandi Mariæ*, qui urgentibus ubiquè locorum bellis, ut ſuis benè conſuleret ſubditis innumeros exantlavit labores, Sibique quietem optimam vitæ partem eripuit, quam Suis daret.

Epigraphe.

Vero nutrit amore.

De-



Deſides in culcitris ſtertant mollioribus
Socordes Principes,
Qui Sibi duntaxàt non Suis conſulunt,
Et unicus ſit illis labor
Otia tueri, quibus fœdè marceſcant.
Optimus Princeps, non Sibi, ſed Suis vivit,
Immò & Sibi, quia Suis,
Nempè ſi benè conferas
Principis vita eſt ſalus Populi,
Et ſalus Populi, vita Principis.
Hæc duo ſimul jura copulant Naturæ,
Et ſi unum perimis, utrumque perdis,

Digitized by Google

Quìa Roſas vepribus defœcatas
Tellus non germinat,
Spinis pungitur, inflictiſquè vulneribus
Cruentatur Populus,
Cujus Princeps dejectis curarum moleſtijs
Solas deliciarum amat Roſas.
Si ſola ſic purpuret Iſte Roſa
Solo purpurat Ille ſanguine.
Non ſceptrum Principem facit, ſed optimum
Regimen.
Stare non merentur,qui ita in ſolio ſedent.
Præſtantiſſimum Principem
Benè expreſſurus FERDINANDUS MARIA,
Immò,& Amantiſſimum Patrem,
Univerſis oneravit ſe laboribus,ac curis,
Ut ſuo gravamine Populos alleviaret,
Quietem, quam fluxo ſudoris argento
Suis emit, Sibi ademit,
Quem in ſuos ardentiſſimum conceperat amorem
Labore fovit.
Nec ſibi pepercit, ut temporum Infortunia
Suis parcerent.
Vel tales amentur Principes: vel nulli,
Hæc eſt vera Idea Principis,
Qui totum amorem Sui à ſe expectoravit,
Ut in Populi commoda refunderet.
Quidni jam ſine amore Principis pectus?
Hoc ne credas,
Amorem Sui exuit.
Quia Amor in Suos totum jam pectus impleverat,
Felix

Digitized by Google

Felix Populus, qui ſui Principis labore quievit,
Cum laborarint cæteri ſeptennali ægritudine,
Æſtuante ad exitium debacchati Martis phreneſi.
Princeps Amantiſſimus,
Conſtitutus à Numinis Providentia
Malè valentis ſæculi Pharmacum,
Fortunæ vitiatos humores
Sua correxit charitate:
Et Pacem in Imperium revocavit,
A quo ſeptem jam annos exulaverat.
Hanc perfectiſſimam Principis Ideam
Singulis Fama celebret Aulis
Tot prædita linguis, quot veſtita plumis,
Ut quod imitentur exemplar habeant Principes.
Intereà lugete deſolatiſſimi Populi,
Veſtrum, quem ſuo gelu Mors Intempeſta
Extinxit in Principe Amorem.
Et quod ultimum eſt Amantium munus
Cineres perfunditẽ lacrymis.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIVM IX.

Laudatur Authoritas, quam Amore ſimul, & Majeſtate FERDINANDUS MARIA in Subditos exercuit.

EMBLEMA.

Rex Apum in Aruorum amœnis ceteras præcedens. Quæ de Apum Regibus referuntur luce clareſcunt meridiana. Sunt duplò ceteris proceriores, formâ, membrorumuè ſymmetriâ venuſtiores. Pennæ illis inſunt breviores, crura recta, ingreſſus celſior: candicant in fronte quodam diademate: cum procedunt totum præcedunt, ac dirigunt examen, cui imperant. Ceteris laborantibus, vel in ſuccis è ſinu florum legendis; vel in cereis domibus, aut mellis conſtruendis, ipſi à labore immunes opera circumëunt exhortantibus ſimiles; ſine ſpiculo naſcuntur: tanta eſt eorum authoritas, ut illis ceteræ ad ſolos nutus obſequantur, in acies conglobentur. Symbolum Authoritatis FERDINANDI MARIÆ, qui ſolo amore, & majeſtate ſine pœnarum aculeis populis ſibi addictis imperavit, eoſque direxit.

Epigraphe.

Ducunt Examina Reges.

Tan-

Digitized by Google



Tanta fuit FERDINANDI MARIÆ Authoritas
Geminis innixa columnis
Majeſtatis, & Amoris,
Ut voluntarium in obſequium,
Populi omnes ſibi addicti,
Vix moniti parati unà fuerint,
Et parere, & perire.
Præclarum eſt pro Patria mori, & Principe Patre,
Quia ità mori eſt nunquàm immori
Reipublicæ Beneficijs.
Pœniceo more, cedit hoc Funus in vitæ Fœnus.
Flagitante ſuppetias *Clemente IX.*

Ad Turcarum impetus coërcendos,
Qui in Inſula Veneris Martis ſpiculis
Venetum impetebant Leonem.
Annuit Pientiſſimus Princeps, & Filius
Æquiſſimis votis
Sanctiſſimi Pontificis, & Patris.
Populos monuit, qui nihili facientes
Imminentia pericula, nihili marium tractus,
Cupidiùs ad cædes, quàm ad Congiaria
Convolarunt.
Qui amore paret, pericula non pavet.
Et lætus currit ad lethum.
Felix ſanè eſt Principis conditio.
Morum ſuavitate, ſtimulis Amorum
Animos flectere, Populos dirigere.
Sitiat Tyrannus ſanguinem, quem timet,
Et nunquàm gaudeat, niſi cum exequias canit.
Sibi juſtiùs parandas, quàm Populo patrandas.
Optimus Princeps, quià Populi gloriam
Æquè avet, ac propriam
Nunquàm fundendi ſanguinem pericula ponit,
Niſi, vel ut palmas irriget,
Vel auctæ gloriæ purpuræ adijciat incrementum.
Sic imperavit FERDINANDUS MARIA
Principum Maximus, immò & maximis major;
Ut ejus nutus leges ſibi præſciberent populi
Tuendas ſanguine.
Hinc mutuus exarſit Amor
Principis in Populum: Populi in Principem.
Fuerat certè omnium amore digniſſimus,
Qui

Qui Principis gloriam metitus eſt
Sola Populorum utilitate,
Quibus magis profuit, quàm præfuit.
Viſus tunc beneficia accipere,
Cum rogaretur conferre.
Moribus ipſe integerrimus, cædibus vivere noluit;
Et maluit Pacis florere oleâ,
Quàm Palmas fractis artubus ſartas
Demetere.
Licèt pugnas non inierit, non tamen ſine
Victoria fuit.
Quin immò ideò vicit, quia non pugnavit,
Tot inter Armorum ſtrepitus,
Qui univerſam propemodùm turbarunt Europam.
Adeſte Populi,
Et cui ſanguine parviſſetis vivo,
Parentate nunc lacrymis
Mortuo.

Digitized by Google

ELOGIUM X.

Laudatur FERDINANDI MARIÆ Beneficentia in Supplices, & Egenos.

EMBLEMA.

Nubes pluvia areſcentia Aruorum germina perfundens. Eſſe nubem congeriem halituum cum novo denſitatis gradu docet Ariſtoteles *Libris Meteorologicis*. Halitus ſurſum calore ſolis, vel alterius Syderis vi quadam magnetica elati, deficiente mox extrinſeco calore, ſeù reflexione radiorum ſolis, & urgente frigore ambientis aëris tertiæ Regionis priſtinũ, ac nativum frigus recuperant, ac addenſantur, coëuntque in plexum ob ſymboleitatem, quâ halitus halitui facilè adhæreſcit. Siſtit nubes pendula, libraturque in Aëre medio, quià complexi halitus ejuſdem ferè ſunt cum Aëre gravitatis. Licèt pleræq; nubis partes ſint aëre graviores, ut humores concreti, aliæ tamen ſunt leviores, ſicque ab aliis aliæ attemperantur, adeò ut nec leviores ſursùm, nec graviores deorsùm ob mutuum plexum nitantur. Quòd ſi vaporibus humidis nubes abundet, magisque tùm extraneum, tùm nativum frigus vigeat, tunc magis concreſcunt partes nubis humeſcentes, & nubes ipſa in pluviam ſolvitur; caditque non ſibi, ſed arbuſtis benefica. Symbolum FERDINANDI MARIÆ qui Principatus inſidens apice collatis beneficiis omnibus profuit.

Epigraphe.

Nihil Sibi.

Et



Et manu, & linguâ Populos illexit
FERDINANDUS MARIA,
Suaviùs tamen manu, quàm linguâ,
Quià gravius profuſo ære, collatis beneficijs
Preſſit, quos Inopia oppreſſit.
Princeps Beneficentiſſimus
Ad mœrentium ſolatium, Labentium fulcimen
Cœlitùs terris datus,
Metallorum Sole alienas exſiccavit lacrymas,
Et paterna charitate ſupplevit
Novercalem Fortunæ inæqualitatem
Quà innatant alij plaudentibus brachijs

Digitized by Google

Pleno divitiarum gurgite.
Areſcunt alij exſiccata Palude inopes.
Se conſcio,
Neminem gemere, neminem miſerijs angi
Permiſit.
Nubilos egentium animos
Profuſi auri ſerenavit radiis,
Et quos miſeriarum cumuli gravabant
Additis elargiti æris ponderibus
Alleviavit.
Diſcite, qui auro divites gloriam quæritis,
Sic per hominum miſerias ad felicitatem ſcanderē.
Principis gloria æquiori pretio non emitur,
Quàm beneficiorum elargitione,
Et Imperantis manus clarior ſemper irradiat
Donativo,quàm ſceptro.
Semina meritorum beneficia cenſe.
Hæc qui neſcit ſeminare,
Nunquàm uberi meſſe merita colliget.
Quid Princeps, niſi Sol inter Populos?
Quid Sol,niſi Princeps inter ſydera?
Neuter ſit ab altero degener,
Uterque ſuos emittat nitores,
Neuter nemini avarus, uterque omnibus beneficus.
Qui neſciunt alijs prodeſſe,
Nec præeſſe ſciunt,
Quià ſibi tantùm non alijs vivunt.
Si gratiam Principis voluntas nuda non aſſerit,
Nec beneficiū cenſeas,quod nulla utilitate ſentitur.
Princeps, ita præſit,

Vt

Digitized by Google

Ut imperando ſerviat,ſerviendo imperet.
Utrumque munus benè obit ſi Se populis
Beneficum præbeat.
Non ità tamen ſunt beneficia conferenda,
Ut divitiæ divitibus accumulentur,
Et ſupplices dedignentur Pauperes,
Non ſunt flumina, quæ non indigent irriganda.
Sed arenti terræ debet humor miniſtrari.
Hùc Fama advolet,buccinas inflet quotquot habet,
Et collata FERDINANDI MARIÆ beneficia
Omnia
Repetat, ſi poteſt.
Æquè in omnes Beneficus,
Omnibus & Principem, & Patrem ſe exhibuit.
Subditos beneficijs cumulaſſe crede.
Nàm ſi furentes Martis impetus abegit,
Stativam ipſis ſubegit felicitatem.
Ubi Pacis vireſcunt Oleæ,
Ibi pinguem comodorum ubertatem tellus exhibet,
At heù lugendum Fatum!
Qui beneficas manus indigentibus admovit
Ad vitam,
In Libithinæ manus incidit ad Mortem.
Luge nunc Bavaria tuum extinctum Principem,
Te ærumnis purgatam ſeminavit beneficiis,
Quæ lacrymarum pluvijs foveas.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM XI.

FERDINANDUS MARIA Princeps Manſuetiſſimus perpetuam, quam ſibi pacem propoſuit exteriùs invexit inter diſſidentia Imperantium Capita. *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine Pacis.* Pſal. 37.

EMBLEMA.

Agnus undiquè inermis, ac mitis inter paſcua. Ea eſt Agnis indita à Natura manſuetudo, ut ferocire neſciant, nec odia fovere, aut iras concipere. Jurgia quæque fugiunt, rixantur nunquàm; ſed pacem; quam præ omnibus amant, cuſtodiunt; pro viribus invehunt; hanc ut quieti amicam, & ſibi, & aliis deſiderant. Symbolum ſanè FERDINANDI MARIÆ *Principis Manſuetiſſimi*, qui ità motus omnes iraſcentis ànimi compeſcuit, ut nunquàm viſus ſit iraſci, nunquàm ullo animi motu exagitari, aut turbari. Pacem, quam ſibi indixit aliis procuravit.

Epigraphe.

Vndiquè Inermis.

FER-



FERDINANDUS MARIA *Principum Mitiſſimus*
Sibi non minùs, quàm Suis imperatus,
Virtute Magiſtra
Adeò animum ad Rationis compoſuit amuſſim,
Ut nunquàm ab ipſa ſejunxerit:
Adeò eius perduelles compeſcuit motus,
Ut nunquàm actus in iras
Mitiſſimi oris ſerenitatem obnubilarit.
In Aulæ Pelago,
Ubi ambitionis voluuntur turbines,
Procellæ ità fluunt, ut ſemper refluant.
At Aulam Bavaricam,

n Ità

Digitized by Google

Ità Principis Manſuetudo compoſuerat,
Ut nullo imminente naufragio
Portus malaciam quiſque traiiceret.
Qui dilapſo Divini Solis radio
Semper colluſtrabatur animus
Non debuit, niſi pacatam exhibere ſerenitatem,
Quâ Principis ad exemplum
Tota miteſceret Aula.
Rectæ Rationi, ità motus omnes agglutinaverat,
Ut vel in ipſo Adamum non peccaſſe dicas,
Vel collapſam in primis parentibus
Inſtauraſſe naturam.
Quæ iracundiæ fuiſſent Aliis irritamenta
Occaſiones fuerunt ipſi charitatis.
At à vero haùd aberravit vulgatum adagium,
Quo extrema tranquillitas
Extremam dicitur procellam minari.
Creverat ad ſummum Bavarica Felicitas,
Delectata fuerat cum Principe manſueto
In multitudine Pacis.
Sine ſpinarum moleſtijs roſas carpſit,
Eo vel tempore, quo ubiquè locorum,
Niſi ſanguinem ſitientia cudebat tela Vulcanus,
Niſi ſpicula Martis ferocia intorquebat.
Et ſine floribus ſolas dabat ſpinas
Debacchata Bellona.
O Labilem terræ felicitatem!
Ut extremo Bavaricæ Aulæ Gaudio
Extremus reſponderet Luctus
Hanc Superis gratiſſimam Malaciam
Su-

Digitized by Google

Subortus Libithinæ turbo
Subitam quaſſavit in procellam,
Et alliſa ad ſepulchri ſcopulum
Naufragium eſt paſſa.
Lætabatur poſt ſeptennales ſudoris,
Et ſanguinis imbres
Revocari in Imperium ſancita pace Serenitatem.
Et principium ſimul, & finem enatæ lætitiæ
Occuparunt lacrymæ.
Tot inter bombardarum tonitrua,
Armorumvè tempeſtates,
Poſuerat Deus in ſignum fœderis Manſuetiſſimum Principem,
Ut quam ſibi indiceret Pacem, aliis prædiceret.
Hanc Manſuetis dat Deus gratiam.
At effloruit publicis gaudiis hæc Iris grandior,
Niſi occaſum potuit nobis portendere,
Inclinante enim die ſemper grandeſcit Iris.
Quia verò in neminem unquàm excanduit,
Neminem unquàm verbo pupugit,
Hiſce moribus ità aſſueverat Mitiſſimus Princeps,
Ut Morte extemplò impetente,
Nullam cum ipſa habuerit querimoniam.

ELOGIUM XII.

Commendatur ſumma *Ferdinandi Mariæ* Æquitas in regendis Populis, ac in negotiis peragendis.

EMBLEMA.

Sol Zodiaci percurrens Eclipticam. Eſt Ecliptica ſemita Solis, circulus Maximus æqualiter diſtans à polis Zodiaci, quem per medium in partes æquales dividit: per Eclipticam Sol indeclinabiliter diſcurrit; & differt à Zodiaco tanquàm pars à toto. Eſt Zodiacus, faſcia ſeù Zona Cœleſtis lata grad. 12. terminata circumferentiis duorum circulorum non Maximorum, nimirùm Tropici Cancri, & Capricorni: vulgò dicitur *Circulus animalium*, ſeù *Signifer*, eo quòd ſigna referat animalium; vel etiam quià ſignificet viam Solis planetarumvè, quorum virtute hæc inferiora animantur. Sol verò ità Eclipticam diſcurrit, ut nec hilum ipſam tranſgrediatur. Symbolum FERDINANDI MARIÆ, qui ità ÆQUITATI adhæſit, ut ipſam nunquàm fuerit tranſgreſſus.

Epigraphe.

Non tranſgreditur.

Ro-

Digitized by Google



Rogamus veniam : nobis parcat
Magiſtra morum Philoſophia,
Si audeamus in ipſam calamum acuere.
Sed Imperantes
Obruit veriùs, quàm inſtruat
Sancitarum iliade legum.
Feliciorem regnandi normam, captuq; faciliorem,
Ad beandos Reges,ad fortunandos Populos
Reipublicæ moderatoribus exhibuit
FERDINANDUS MARIA *Princeps Æquiſſimus*,
Cùm à turpibus patrandis deterruit
Inflictis pœnis,

Digitized by Google

Ad virtutum allexit honeſtamenta
Elargitis prœmijs.
Geminis hiſce fulcimentis
Innixa Imperia, nec lapſus timent,
Nequè diſſidia fovent.
Securiùs imperat, qui lictorum ſecuribus
Nefarios ſubijcit.
Et ſibi, ac ſuis quietem ſpondet,
Qui multâ ſceleri reſpondet.
Virtutibus prœmia, vitijs pœnæ
Si injungantur,
Ex hiſce diſcordibus,
Concors fit in Republica concentus,
Quo virtuti Epinicion, Vitio Epicedium
Canitur.
Pacata Principum regimina non ſunt,
Niſi inultis opacentur flagitia pœnis.
Primordia Pacis
Ab ipſo petuntur bello, quod in ſcelera initur.
Sit Princeps Æquè
Virtutis Cultor, ac ſcelerum Ultor.
Mortua Æquitas iniquorum mortibus ſuſcitatur.
Et virtus ſi ſemel extincta fuerit,
Altera Phœnix, non reviviſcit,
Niſi ex cinere vitij.
Diſcutite nunc Magni Principes,
Quas concipitis ad rectum Regimen
Prolixas Idearum ſeries;
Longas, ac perarduas vias beatiùs poteſtis
Hoc peragere compendio,

Et

Digitized by Google

Et ſine amiſſi fœnoris jactura
Ad veram æquitatis normam
Æquè beneficia collocabitis, ac ſupplicia.
Hæreat animo hæc ſancitarum legum Epitoma.
Et illi aſſueſcant, qui ad ſceptra naſcuntur.
Noſter intereà Legislator
Licèt Fata inſidioſæ ſubierit Libithinæ,
Non propterea è vivis ereptum cenſeas:
Illum credas è mortalibus raptum,
In terras cum ipſo deſcenderat Aſtræa,
Ambo undè venerant remearunt.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM XIII.

Laudatur ſuaviſsima *Ferdinandi Mariæ* Affabilitas, quà alliciebantur quotquot ipſum alloquebantur.

EMBLEMA.

Magnes, ſeù Herculeus lapis varios ferri anulos ad ſe alliciens, adeò ut unus magneticâ imbutus virtute alium trahat, & hic alium, nectanturquè plures in pendulam catenulam. Mira eſt virtus, quam Magneti Natura indidit. Lapis eſt licèt colore fuligineus, virtute tamen ceteris clarior: eam dicit cum ferreis ramentis ſympathiam, ut illa ad ſeſe atrahat, ſibique arcanis nexibus copulet. Alij diſertæ Suadæ hunc lapidem poſuêre Teſſeram, hâcquè cauſa finxerunt aureis catenis ab Herculis ore prodeuntibus raptos, ac devinctos hominũ Cœtus. Nos verò Symbolũ ponimus Affabilitatis, quâ *Ferdinandus Maria* omniũ allexerat animos, quos amoris vinculo ſibi devinxerat.

Epigraphe.

Arcanis Nexibus.

Qui

Digitized by Google



Qui veſtris vernant in manibus flores
Vngue lacerate, dente contundite
Trigeminæ Gratiæ.
Mors invida veſtrum protrivit Cultorem,
Diſſipate crines
Cinere ſpargite capita,
Veſtrum Libithina devenuſtavit ornamentum,
FERDINANDUS MARIA
Princeps ad Mundi delicium
Cœlitùs Terris datus
Moris ſuavitati Oris affàbilitatem
Ità adnexuit

Ut nil niſi gratias loqueretur,
Niſi beneficia funderet.
Quibus animos hilararet, hilaratos bearet.
Mellificantium Apum apprimè Regem imitatus,
Principem dixiſſes ſine aculeo,
Neminem unquàm ore ſauciavit,
Neminem manu læſit.
Nimirùm virtutum omnium, quià flores
Delibaverat,
Niſi melleam profudit dulcedinem,
Quà Regiam ità gravitatem condidit,
Ut vi magneticâ ſuaviore
Omnium allexerit animos,
Omnium demulſerit pectora.
Omniumquè amoris vinculo ſibi corda
Devinxerit.
Diſcant Magnates ſic eſſe populorum Magnetes,
Etiam ferrea, ſi quæ ſunt corda ad ſe allicient,
Suisque adnectent Amoribus.
Principis *Majeſtati* cognata ſit *Affabilitas*,
Si ambæ ſolio inſideant,
Rapiuntur Populi in obſequium Imperantis.
Sunt, quæ promit *Affabilitas* verba
Aureæ ab Herculis ore prodeuntes catenulæ
Animos, & rapiunt, & vinciunt.
Non eſt Regia Æoli Antrum,
Qui irruentes exeunt turbines
Turbant quidèm, ac quatiunt,
Nunquàm tamen alliciunt, aut rapiunt.
Ab Aula lenis ſpiret Aura,

Hæc

Digitized by Google

Hæc flectit non frangit.
Quid Lapidis rigore pigriùs?
Quid eius duritiâ pugnatiùs?
Et tamen pulſante Orphæo Cytharam.
Solum pulſarunt, & ſaxa,
Quæ choreas ad Cytharedi modulamina
Duxerant.
Emblema eſt Fabula Affabilis Principis,
Si blanda loquatur
Suaviori movet aucupio, etiam ſaxea corda.
Stropham hanc regnandi dedit
FERDINANDUS MARIA,
Qui niſi mellea loquutus,
Frontem nubilam obiecit nemini.
Liliata cœlitùs ſerenitate donatus,
Hanc ſola Mors ſuo poterat obducere peplo.
Quidni? hac Serenitate mox ſepulta
Procellas excitet internus dolor,
Pluvii oculi, Tonantia ora
Ipſi parentent.
Rerum humanarum ſtylus eſt
Læta triſtibus claudere.

Digitized by Google

ELOGIUM XIV.

Laudatur ſingularis in Deum *Ferdinandi Mariæ* Fiducia.

EMBLEMA.

Arbor frugifera rigente bruma ſuis viduata fructibus, altiſvè conſperſa nivibus. Vbi hyberna tempeſtas terram ingruit, rigent omnia, vel gelu concreta, vel altis conſepulta nivibus. Nudantur frondibus Arbores, torpent pigreſcente glacie, qui grato murmure fluebant rivuli. Contubernales confugit ad focos Ruſticus. In terræ Matris intimioribus ſe abdit formica viſceribus parto fruitura penu frumentario. Id tantùm arboribus ſupereſt gaudij ſpes redivivi Veris. Symbolum ſingularis fiduciæ, quàm Ferdinandus Maria habuit in Deum in ſingulis, quæ adverſa illi Fortuna obiiecerat.

Epigraphe.

Gaudium meum Spes mea.

Rectè

Digitized by Google



Rectè incedere ſi fertur ille,
Qui cum Deo ambulat
FERDINANDUM MARIAM
A recto nunquàm deflexiſſe tramite
credas.
Cum Deo ità inceſſit, ut ab illo nunquàm receſſerit,
Quià præ oculis ſemper habuit,
Quem loca omnia ſibi præſentem ſentiunt,
Ubiquè vixit tanquàm ad Aras ſacerdos.
Sapiens Princeps
Noverat humana quæq; Fortunæ viciſſitudinibus
Obnoxia

Tunc minùs tuta eſſe;
Cùm magis videntur ſtare.
In eo fixerat Spes omnes,
Qui nec deficere poteſt, nec mutari.
Quàm firmæ ſtarent ſpes hominum,
Si tali inniterentur fulcimento.
Nec fraudes timerent, nec lapſus formidarent.
Areſcunt ſpes omnes,
Si Deus ipſas non foveat.
Vireſcunt ad fructus, ſi ipſis faveat.
Ità Principatus clavum tenuit
Bavaricus Nauclerus
Tot inter commotas Europæ procellas,
Quas armorum motibus Mars acciverat,
Ut arridente malacia
Felix, lætumque regiminis navigium
Portum appulerit ſummæ Tranquillitatis.
Nimirùm ſpes omnes in Deo, quia poſuerat,
Divino afflante Spiritu
In æquatos velorum ſinus,
Niſi proſperè debuerat
Temporum infortunia traijcere.
Illiſit tumentes debacchatæ Bellonæ fluctus,
Illuſit, quas æſtuantes Mars excitaverat tempeſtates.
Habenti in Deo fiduciam benè ſunt omnia.
Plures decipiunt ſpes, ſi rebus fulciantur humanis,
Neminem ſi Deo.
Deſperat facilè, qui incertæ Martis aleæ
Spes omnes committit.
Mars, & Mors cognata ſunt nomina
Parùm,

Digitized by Google

Parùm,& Re diſtant.
Victrices, ſpondet ille palmas,
Quæ non rarò Libithinæ degenerant in cupreſſus.
Felix Principis Fiducia,
Quæ ſoli Deo nixa Martis niſus
Vicit, cùm fugit.
Non credas cecidiſſe Principem,
Quamvis Mortis ictu attritum,
Qui cum Deo ſemper ſteterat,
Æternùm etiam poſt Fata ſtabit.
Lapſus nunquàm timeat, cui Deus eſt fulcimentum.
Noverat vitam hominibus
Commodari non *dari*,
Hanc, ut qualem receperat reſtitueret,
Præter Deum
Aliud non nóvit, in quod collimarent
Operationes centrum.
In ipſum convolarunt
Omnia vota, negotia omnia, & tandem ipſe totus.
Plangite tamen terris ereptum,
Ut quem Principem amiſiſtis
Adhùc Patrem habeatis.

Digitized by Google

ELOGIUM XV.

Laudatur FERDINANDI MARIÆ Vigilantia in regendis populis, eorumq́ue commodis tuendis,ac promovendis.

EMBLEMA.

Leo humi cubans, oculisvè indormiens apertis. Plures ſunt, & nobiles Leonis Ferarum Principis Dotes. Præ ceteris excellet Vigilantiâ, quàm Imperantes omnes, qui aliis præſunt imitentur. Oculis indormit apertis. Hinc in vigilantiæ Teſſeram, Mos fuit antiquitùs, quò Leones ad ſacrarum Ædium peramplas januas vivo in marmore eleganti cælatura intuebantur ſculpti. Et Regúm Sapientiſſimus Salomon duodecim ad Ædium gradus, utì excubias agentes collocari curavit. Alciatus *Emblem. 15.* Ut vigilantiam,& cuſtodiam ſymbolicè exprimeret Templum delineari voluit ad cujus fores ſculptus adeſt Leo, in ſacræ turris apice Gallus; ambo vigiles, ambo cuſtodes. Ait

Eſt Leo, ſed cuſtos oculis,quòd dormit apertis
Templorum idcircò ponitur ante fores.

Eſt Leo Bavaricum ſtemma, & FERDINANDUM MARIAM Symbolicè exprimit. Quòd oculis dormitet apertit ſolertiſſimi Principis prodit vigilantiam, quâ non ſemel noctes inſomnes duxit, ut ſuis benè conſuleret hiſce præſertim poſtremis temporibus, quibus univerſa propemodùm Europa graſſantibus bellis premebatur.

Epigraphe.

Oculis indormit apertis.

Felix



Felix Regnum,
Cui explorator præeſt Princeps.
Vigilantia Principis eſt quies Populi.
Optimi Principatus imaginem
Paſtoritia exhibet Artium innocentiſſima.
Parùm diſtant
Regale munus,& Gregale.
Unam ſi literam deleas, idem dices,
Si vigilet Paſtor tutò dormiunt oves.
Principũ innocentiſſimus Artiũ innocentiſſimam
Imitatus,
Ut optimum Principem ageret

P Soler-

Solertiſſimi Paſtoris obivit munus.
Vigilias noctis cuſtodivit,
Ut impunè quieſcerent Populi,
Eo vel tempore, quo armorum motibus
Chriſtianus agitabatur Orbis.
Si Europam cum Oceano,
Armorum motus cum fluctibus,
Pugnantium ſtrepitus cum ſonantibus procellis,
Et cæſos cum naufragis
Conferas.
Bavariam procellis quaquaversùm circumſeptam
Inconcuſſum dicito ſcopulum,
Et ut Symbolum abſolvas adde Lemma
Immotus in motu.
Felix Bavaria hanc debes gloriam
Tui Vigilantiæ Principis,
Tametſi extero vallata milite,
Incurſiones tamen, ac ſtationes
Hybernantis Bellonæ evaſiſti,
Quæque poſſides Auri, Argentivè pondera
Aliò Mars non aſportavit.
Nullo violata ferrò virginea adhùc prodis
Pacis fœdera.
Cruentis Nocentiſſimi ſæculi laboribus
Innocuam obieciſti quietem.
Grates repende defuncto Principi,
Qui moribus integerrimus
Cædes, mutilationes oderat omnes.
Innocentia candidus, amore candens
Effuſo noluit infectum cruore,

Quem

Digitized by Google

Quem,ut ſe ipſum dilexerat Proximum.
Utinam ſic regerent Principes,
Quàm regnarent feliciores.
Qui Populorum conſulit ſecuritati,& quieti,
Sibi egregiè conſulit.
Aulam veluti ſpeculam ſibi propoſuerat,
Excitata ubiquè locorum bella
Argus centicolus ſedulò exploratus,
Omnem procùl abegit timorem.
Securiùs vigili hac cura Populorum commoda
Boicus cuſtodivit Iſte Leo,
Quàm olim Heſperius Draco
Sibi concredita aurea mala.
Hiſce ſi aſſueſcerent artibus,
Qui Populis præſunt,
Humano ebrius ſanguine non inſaniret Mars.
At qui ſanguini pepercit vivus,
Vectigales lacrymas exigat
Mortuus.

Digitized by Google

ELOGIUM IX.

FERDINANDUS MARIA Princeps puriſſimus ità lethales ôderat noxas, ut cum ipſis nunquàm fœdus inierit, quin immò à levioribus etiam cavit, quæ ſubindè gravioribus viam ſternunt. Idquè laudedigniùs, quo in Principe commodis omnibus cumulato.

EMBLEMA.

Chryſtallinus Fons limpidis emiſſus laticibus è patulo Leonis gutture. Puritatem etiam deſignari per vividos, ac pellucidos emanantis fontis latices adſtruunt non Pauci. Sunt fontium decurrentes rivuli perſæpè candidiſſimæ matris non degeneres filii. Gignuntur ſubindè ex nivibus, quæ ſolis trajectæ radio, vel Auſtralibus diverberatæ auris ſenſim ſine ſenſu liqueſcunt, & patulas terræ rimulas penetrantes, vel è ſinu prædura cautis erumpunt, vel è terræ ſaliunt gremio in pellucidos rivulos, qui nulla labe contracta ſordes diſſipant, & à ſe procùl expellunt. Symbolum FERDINANDI MARIÆ exhibet Leo ſtemma Gentilitium Inclytæ Stirpis Bavaricæ. Fons jugiter emanans morum innocentiam, ac puritatem, quam ſemper coluit.

Epigraphe.

Sordida Pellit.

Aliis



Alijs non addictus Princeps delicijs,
Quàm Puritatis.
Cœleſtis ſequutus veſtigia Sponſi
Nunquàm fuit alio gaviſus,
Quàm inter lilia paſci,& verſari Innocentiæ,
Quibus mores, & amores ſimiles traxit,
Candidos ſcilicèt non cruentos.
Licèt Argus fuerit in ſuorum cuſtodia,
Non indè monoculum credas in ſua.
Innocentiæ tenaciſſimus
Hanc in quovis periculo incolumem voluit.
Integritatis amaſius

P 3 Huic

Digitized by Google

Huic ità ſemper adhæſit,
Ut frangi mallet, quàm ipſam frangere.
Hinc Innocentiæ Cultor, Integritatis Cuſtos
Unicè ſtuduit vitæ candori,
Quem ità coluit,
Ut qualem à Matre receperat
Ad ſuperos detulerit.
Id indicant candidiſſimi ejus mores,
Non diſſimiles ejus amores.
Lilium dixiſſes
Inter ferrei ſæculi vepres.
Quæris
Quàm ſuaves Cœlitibus emiſerit odores?
Adeò ipſos allexerat,
Ut terræ ſtatim rapuerint.
Puriſſimus Flos
Cœleſti debuerat inſeri viridario,
Et quidèm verno tempore.
Aſſueta jam terra per annos plures
Cruentis Martis ſpiculis,
Digna non fuerat candidiſſimo hoc Flore.
Qui integritatis cuſtos
Fractos Martis abjecerat mores,
Quià inſidias noverat, quas mundus
Innocentiæ apparat,
Studium omne in conſcientiæ excubias
Sollicitaverat.
Quippè à minima quaque nequitiæ larva
Deterritus,
Ità in rebus agendis deliberaverit,
Ut

Digitized by Google

Ut nunquàm utile honeſto prætulerit,
Interrogare aſſuetus
Non quæ poſſent fieri,
Sed quæ deberent
Ad puriorem conſcientiæ munditiem,
Depromere ſolitus adagium,
Quo vitium vitio viam emollire
Dicitur,
Et leves noxas gravioribus viam ſternere.
Cum neminem amaret,
Qui optimo proximus non eſſet,
Neceſſitatem quandam probitatis
Suis indixerat Aulicis.
Utinàm Principes hiſce aſſueſcerent moribus.
Non exiret Aula, qui vult eſſe pius.



ELO-

ELOGIVM XVII.

Commendatur inconcuſſa FERDINANDI MARIÆ Fortitudo in rebus tùm proſperis, tùm adverſis.

EMBLEMA.

Adamas ſuper incudem malleatus. Maximi præ ceteris gemmis eſſe Adamantem pretii nulli eſt dubium. Solius auri comes, niſi Auro inſeritur, nimirùm gemmarum Princeps tantùm metallorum Principi gaudet copulari: nec par pari invidet. Genera Adamantum ut refert Plinius *Lib. 36. Natural. Hiſt.* Quatuor præſertim noſcuntur Indicus, Arabicus, Macedonicus, & Cyprius. Qui in India naſcitur æquat magnitudine nucleum avellanæ; cui haud diſſimilis eſt Arabicus, licèt aliquantò minor. Qui in Macedonia tradditur in Phillippico auro inventus, & cucumeris ſemina dimenſionibus haud excedere. Cyprius colorem imitatur aërium. Ceterùm commendatur Adamas inſignem præſertim ob duritiem, incude impoſitus mallei ictus ità reſpuit, ut ferrum utrinque diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant. Hujus lapidis inconcuſſa durities locum etiam Adagio fecit, quo hominem fortem, ac conſtantem Adamantinum dicimus. Symbolum FERDINANDI MARIÆ Principum Fortiſſimi, qui utrique Fortunæ adverſanti, adblandienti inconcuſſam obiecit animi firmitatem.

Epigraphe.

Non frangitur ictu.

Unus

Digitized by Google



Unus eſt huius vitæ fluctuantis portus.
Eadem ſemper ſtare animi æquabilitate,
Sivè rideat Fortuna Proſperis,ſivè irrideat adverſis.
Enerves animos Virtus reſpuit.
Inconcuſſos,uti Arces omni inſtructas munimine,
Occupat præſidiaria.
Non Fortuna viris fortibus dominatur,
Sed viri fortes Fortunæ.
Quæ leni flante aura flectuntur vimina
Innatam produnt levitatem.
Quæ irruente Euro franguntur ilices.
Adhùc ſortitam promunt imbecillitatis conditionẽ.

Digitized by Google

Viri fortes, qui nulli cedunt,
Nec flectuntur blandis, nec franguntur ſiniſtris.
FERDINANDUS MARIA
Principum Fortiſſimus,
Quia adamantinam animi firmitatem
Reciprocantis Fortunæ auſibus
Semper obiecerat.
Quæ adverſa contigêre
Exercitium duntaxàt illi præbuerunt virtutis,
Nunquàm exitium.
Impetente Regiam Vulcano,
Ac diſcurrentium exercitu flammarum
Pretioſa quæque depaſcente,
Ubi ad ſæva incendia liqueſcebant Ceteri
In lacrymas.
Riſit ipſe loricati animi ſerenitate
Præpotentis Aggreſſoris conatus,
Orisquè hilaritate nubilos ſerenavit animos,
Lacrymisvè perfuſas exſiccavit genas.
Asbeſtinum imitatus Princeps Fortiſſimus
Inter flammas induruit ſplendidior.
Poterat Fortuna Regiam eripere
Nunquàm animum Regium.
Ubi Mors invida vibrata falce
In ipſo ætatis vere ſuaviſſimum florem
Demeſſuit
HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM
Amatiſſimam Conjugem.
Lethali huic adverſantis Fortunæ ictui
Tales obiiecerat Amoris flammas,

Quas

Digitized by Google

Quas in extinctam etiam fovit Conjugem,
Ut oblatos alios reiiceret Hymeneos.
Verus Amor fortiſſimus eſt,
Conſtantiâ clypeatus nullum pavet vulnus,
Omnibus reſiſtit etiam Libithinæ gelu.
Cuius frigido ſub cinere adhùc caleſcit.
Arridentem quoque, ut irrideret Fortunam
Oblata reſpuit ſuffragia,
Quibus Romanorum renuntiaretur Imperator
Imperio major.
Veram Fortitudinis Ideam, ſi quæris.
Principem conſidera
Nec adverſa properâ feſtinatione fugientem,
Nec proſpera effuſo gaudio apprehendentem.
Multò operoſius eſt
Se ipſum, quàm hoſtem ſuperare.
Heù! qui adamantinum pectus
Utrique obiecerat Fortunæ,
Momentò Libithinæ ceſſit.
Quis contrà Fatum ſtare poterit?
Si Fortitudo ipſa cecidit.

ELOGIUM XVIII.

FERDINANDUS MARIA Princeps Pientiſſimus, ità fuit divinarum rerum addictus contemplationibus, ut divino exardeſcens amore viſus ſubindè ſit in lacrymàs colliqueſcere.

EMBLEMA.

Aquila ex nimio æſtu ad Solis præconcepto intuitum plumas exuens. Aquilam dignitate, ac nobilitate ceteris præeſſe Alitibus adſtruunt quotquot ejus dotes recenſent: idque præſertim ex volatus ſublimitate, celeritate, ac duratione, ex viſus acumine, animi generoſitate, corporis robore, vi, ac audacia deprehenditur. Ceteris volat altiùs, adeòut ab Ethnicis Jovis nuncia diceretur. Sola inter Aves recta via, & non obliquè, ut ceteræ, ſurſùm fertur. Solis adeò delectatur intuitu, ut malit æſtu ferventiſſimo torqueri, ac ſolvi, quàm blando ſolaris jubaris privari illicio. Symbobolum FERDINANDI MARIÆ Principum Pientiſſimi, qui totus in rerum ſupernarum contemplationibus perſæpè ſolvebatur in lacrymas nihili faciens cetera corporis incommoda, dummodò mentis acie divino frueretur Sole.

Epigraphe.

Solvitur quià Solatur.

Chri-

Digitized by Google



Chriſtianæ Pædagogio Pietatis
Philoſophantes non deſunt Gymnoſophiſtæ,
Qui Aquilas volucrum generoſiſſimas
Æmulati
Divinum defixis in Solem obtutibus
Tanti Jubaris illicio capti,
Licèt in terris degentes
Immobiliter ſe cœlo ſiſtant.
FERDINANDUS MARIA
Principum Pientiſſimus
Supernarum rerum adeò alliciebatur
Contemplationibus,
Ut tota eius converſatio in cœlis fuerit.

Digitized by Google

Nulla valuit nox intempeſta
Suis prohibere tenebris
Eos Divini Solis radios, quibus ipſe flagrarat,
Cùm noctes ipſas alliciente Numinis Gratia
Inſomnes dimiſerit.
Vicerat olim Joſuë Amorrhæum
Adblandiente Cœli ſerenitate,
Favente ſolis ſtatione,
Nempè ſtetit Sol in caſtris Joſuë,
Ne ſtaret Amorrhæus.
Metas diſtulit diei attingere,
Ut in caſtris Amorrhæorum
Stativam proſterneret Fortunam.
Si vices voluas
Suppar renovas miraculum.
Stationarium militem divino ſe exhibuit Soli
Gymnoſophiſta Princeps Tartarum expugnaturus.
Ille ſereno Cœlo palmas demeſſuit.
Hic pluviis oculis Epinicium ſibi occinuit.
Non ampliùs credas Æthnam
Unicum jocantis Naturæ prodigium,
Si videas ibi incolumes cum ignibus
Nives colludere.
Pulchriora exhibet ſpectacula ingenioſior Gratia,
Cùm Principum Pientiſſimus
Totus Divino diflagrans amore
In lacrymas ità ſolvitur,
Ut ignis aquam; aqua ignem foveat,
Miſcentur iterùm elementa.
Antiquum cahos niſi Amor aliquis
Potuit revocare.

Digitized by Google

Quid miraris in Eliæ ſacrificio
Algentes flagraſſe latices ,
Puramque in undis arſiſſe victimam?
Hæc collapſa miracula inſtauravit
In Principe Amor.
Mundiſſima victima Deo oblata
Arſit in undis lacrymarum,
Maduit in amoris flamma,
Scilicèt corporis Nubes
Quæ nitidiſſimum obduxerat
Maximi Principis Animum,
Propè Divinum Solem in pluvias ſoluta
Lacrymarum
Cordis rigaverat hortum omnigenæ virtutis flore
Ad omnem jam comptum Cœlitum elegantiam.
Rorida hac in nube
Iridem pinxerat Divinus Amor.
Quam tot inter armorum procellas
Europam divexantes
Poneret in ſignum fœderis,
Ob pacem impensè Imperio procuratam.
Non tamen credas fictos ſimulaſſe colores,
Verâ ſiquidèm rubuit charitate,
Nec ipſi defuit cum candore innocentiæ
Conſequendæ Pacis ſpei veriditas:
Cùm noluerit hinc è terris migrare
Niſi fuerint omnia priùs in pace compoſita.

ELO-

ELOGIUM XIX.

Commendantur profuſæ Auri, Argentivè eleemoſynæ, quibus FERDINANDUS MARIA Egenorum copias exhilaravit. Labentes familias ſuffulſit. Miſeriarum anguſtiis preſſos alleviavit. Sacros Religioſorum Cœtus aluit.

EMBLEMA.

Argentea Pelvis Aureis oppleta nummis. Aurum ab aura, ſeu ſplendore vulgò dictum in terræ intimioribus progignitur viſceribus. Hinc eleganter Plinius *Lib.33. cap.1. Imus in viſcera terræ, & in ſede Manium opes quærimus. Nos premit Aurum, nos ad Inferos agit.* Quanta ſit inter homines Auri potentia nemo eſt, qui neſciat. Metallorum Princeps Hominum eſt Arbiter. Bella inſtituit, mucronibus imperat, Mænia diruit, Urbes evertit, Animos flectit, diſſidentia capita componit. Rauceſcit etiam Tulliani eloquii tuba, ſi aurum loquatur, quàvis facundia patrocinatur nervoſiùs, quàvis ſuada movet blandiùs. Amicitias init, & ſolvit, odia fovet, & extinguit, jurgia excitat, & ſedat, omnia poteſt, omnia vincit. Et ut Chilo aiebat Lacedæmonius, quòd Lydius lapis eſt auro, id aurum eſt homini: ſicut Lydius aurum probat: ità aurum hominis prodit ingenium. In Symbolum eleemoſynarum, quas FERDINANDUS MARIA Princeps profuſiſſimus Egenis elargiebatur aſſumuntur Aurei nummi, quorum vi labentes ſuſtinuit familias: preſſos miſeriis egenos ſeblevavit: lugentium lacrymas exſiccavit: Sibique gloriam comparavit nunquàm perituram.

Epigraphe.

Vincunt omnia Nummi.

Do-

Digitized by Google



Doleant oculi obijci ſibi
Argumenta luctuum,
Undè ſemper fluxerant gaudiorum.
Qui ad miſerorum levamina
Gravia Auri pondera adjecerat,
Premente Mortis gravamine
Succubuiſſet.
Niſi Cœlites ijſdem theſauris,
Quos Pauperibus concrediderat
Venale exhibuiſſent Empyreum.
Noverat Profuſiſſimus Princeps
Cœlorum Regnum vim maximam pati,

Digitized by Google

Et niſi adhibita violentia rapi.
Chriſtianæ militiæ addictus Sacramento,
In ejus expugnationem aureo uſus ariete,
Tunc mœnia aperuit,
Cùm mendicas manus elargitis aureis
Clauſit.
Deſiſtat nunc in aurum oblatrare Cynicus,
Non ampliùs pallet, quia inſidias timeat.
Tutum invenit Aſyllum, manus pauperum.
Hæ Chriſti ſunt Gazophylacium,
Quod accipit Pauper, acceptat Chriſtus,
Ut reſtituat centuplum.
Egregium eſt fœnoris genus
Deo fœnerari,
Dare quod acceperis,
Ut luculentiùs recipias, quod dederis.
Laudent Principem eſurientium viſcera,
Non ructantium opulenta convivia.
Fœcundus eſt Ager Pauperum
Citò reddit aucto fœnore, quod acceperat.
Sani non eſt conſilij
Illinc relinquere undè ſumus exituri,
Et illùc non præmittere
Quò ſumus ituri.
Ibi ſubſtantias collocemus, ubi Patriam habemus.
Alienæ inopiæ, qui conſulit, Sibi benè conſulit.
FERDINANDUS MARIA Fœnerator optimus,
Ut reciperet æternum, profudit temporarium,
Quod non poteſt hic retineri abundè dedit,
Recepturus, quod amittere jam non poteſt.
Nihil

Digitized by Google

Nihil habuit, quod Dei causà non daret,
Miſeris donavit aureos,
Moleſtis condonavit injurias.
Non tamen ità dedit, ut amiſerit;
Immò ideò non amiſit, quia dedit,
Amiſurus, niſi dediſſet.
Suas etiam produnt Cœlites nundinas,
Venale exhibent Regnum,
Juſto pretio non emitur,
Quià quod ad æquitatem donet Terra non habet.
Vili comparari poteſt,
Si negotiatores vocentur Pauperes.
Aurea clavis omnem aperit januam,
Etiam Cœli.

ELOGIUM XX.

Laudatur Inconcuſſa FERDINANDI MARIÆ Patientia in tolerandis, tùm Adverſis, tùm Corporis ægritudinibus, quibus premebatur, præſertim ultimis vitæ ſuæ temporibus.

EMBLEMA.

Pyramis Ægyptia ruente procella quaquaverſus diverberata. Eſt Pyramis Moles prægrandis quadrangula infernè laxa, ſupernè in anguloſum faſtigium gradatim acuminata. Scribit Solinus, Maximas fuiſſe in Ægypto erectas ex quadratis lapidibus ad omnem ſtructuræ elegantiam, ac munificentiam, faſtigiatas ultra omnem excelſitatem, quæ hominis manu fieri poſſet, ſub quibus Reges ſepeliebantur. Excogitatæ fuerant hujus generis molitiones à Regibus Ægypti, vel ad potentiæ oſtentationem; vel ne aceruata auri, argentivè pondera Succeſſoribus, aut æmulis Inſidiatoribus relinquerentur, aut ne Plebs eſſet otioſa. Ferunt adhùc extare quamplurium veſtigia. Ceterùm quod noſtrum concernit inſtitutum, quia hujuſmodi moles ex lapidibus compactæ durioribus temporum obſiſtunt injuriis, ruenti diverberatæ grandine, aliiſvè tempeſtatum percuſſæ ictibus adhùc immobiles ſiſtunt, Symbolum ſunt FERDINANDI MARIÆ *Principis Patientiſſimi*, qui variis preſſus ægritudinibus, aliiſvè moleſtiis affectus adeò patiens fuit, adeò immobilis; ut conqueri nunquàm fuerit auditus.

Epigraphe.

Nec frangitur, nec flectitur.

Si

Digitized by Google



Si in Regno Patientiæ
Nil coronat nobiliùs, nec ornat illuſtriùs,
Quàm quod cruciat.
Sine diademate, ne credas hinc demigraſſe
FERDINANDUM MARIAM.
Lilium Innocentiæ puriſſimum
Sine dolorum ſpinis in terris non floruit.
Debuit inter vepres ſuaviùs olere.
Ad virium omnium corporis uſque deliquium,
Nunquàm tamen Patientiæ,
Ægritudinis moleſtias etiam toleravit.
Voluit Deus

Digitized by Google

Hoc Lydio probatiſſimum Aurum
Principibus prodere,
Vt quo diteſcerent in regno Immortalitatis,
Si vellent imitari, haberent.
Meritorum acervatione, veræ cumulantur divitiæ
Non perituræ.
In Pedagogio Chriſti apprimè inſtructus
Patientiſſimus Princeps
Omne, ac perarduum, quod illi obijciebatur
Cruciatuum argumentum,
Tàm facilè ſolvit, ac ſi nullam intuliſſet difficultatē.
Ceciderant in bonam terram virtutis ſemina,
Vberrimam fructuum meſſem ſtatim dederunt
In Patientia.
Loricatum animum doloribus, ac moleſtijs,
Quibus divexabatur corpus,
Obiecerat,
Torquere cutem potuerunt,
Nunquàm animum pungere.
Neunquàm illi defuiſſent occaſiones meritorum,
Excitatorem patientiæ ſecum contulit
Conceptum morbum, qui in dies ſemper intumuit,
Donèc fibras diſrumperet vitæ.
Hoc morbo monitore uſus
Aluit mortalitatis memoriam,
Quâ bene mori, ità didicerat,
Ut pœna ipſi non fuerit Mortis Fata ſubire.
Catenatas dolorum ſeries aſſuetus tolerare,
Inconcuſſam Patientiam,
Quam nec dolores frangere,

Nec

Digitized by Google

Nec flectere corporis moleſtiæ valuerunt
Alteram ſibi naturam fecerat,
Et diſpendia valetudinis
Virtutis lucra effecit.
Hinc cruciatus, ut delicias amplexatus,
Delicias, mundiquè illecebras,
Ut cruciatus, ac ſibi tormenta fuit averſatus.
Ægritudines eâ animi toleravit illaritate,
Ac ſi ſolatia fuiſſent.
Gaudeat enim cùm patitur Juſtus.
Quiâ ſcit paſſionum detrimenta
In adeptæ gloriæ cedere incrementa.
Aſſueſcant Patientiæ Cultores
Semper graviora pati.
Dabit Deus his quoquè finem,
Et hæc toleraſſe olim meminiſſe juvabit.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM XXI.

Laudantur *Ferdinandi Mariæ* Pœnitentiæ, ac cruciatus, quibus Pientiſsimus Princeps delicatiſsimum, ac innocentiſſimum emaciavit, ac ad ſanguinis effuſionem ſubindè dilaceravit corpus.

EMBLEMA.

Vexillum Bellicum varijs ſciſſuris lacerum. In campis Martijs, niſi per vulnera aperiuntur ad gloriam ſemitæ. Characteres ſunt, qui in pectore ſculpti viri fortis ejus loquuntur in re militari monumenta facinorum. Digniùs non laudantur Duces, aut Strategi, niſi fracti. Hoc ipſum cedit ipſis in decus, ſanguinem fudiſſe. Inflictis gaudet Bellona vulneribus, per quorum ſpiramenta gloriam haurit. Vexillum ipſum bellicum, niſi exploſa glande pluriès lacerum cenſetur gloria Ducis. Symbolum FERDINANDI MARIÆ, qui addictus Pietatis militiæ per cruciatuum vulnera gloriæ hauſit incrementa.

Epigraphe.

Nobilius Lacerum.

Ha-

Digitized by Google



Habent, & Pietatis Caſtra
Sua vexilla,
Eò nobiliora, quò frequentiori ſciſſu
Magis lacera.
Nimirùm inflictis vulneribus fracta
Integrioris gloriæ loquuntur incrementa.
Hujus militiæ, qui adſciſcuntur Sacramento,
Et agere, & pati fortia
Aſſueſcant.
Neminem inglorium, illaudatum neminem
Bellatrix Pietas tolerat.
Spinas obiicit ſtimulos capeſcendæ gloriæ,

Digitized by Google

Dolores exhibet,
Suſcipiendæ laudis incitamenta.
Empyrei Arces
Multiplici vallatæ propugnaculo
Vim patiuntur maximam.
Præſidiariâ Cœlitum militiâ propugnatæ
Expugnatu ſunt difficiles.
Sine exantlati laboris conſtantiâ
Non ſinunt obſidione cingi,
Nec ſine ſanguine occupari.
FERDINANDUS MARIA
Dimicantis Pietatis in Caſtris
Strategus Peritiſſimus,
Methaneæ in Armamentario ſacræ militiæ
Inſtrumenta mutuatus
Se ipſum expugnavit,ut Cœlitum munitiſſimas
Arces oppugnaret.
Cilicio chlamydatus rudia retia
In aucupium cruciatuum aſſumpſit,
Ac in victoriæ pedicas.
Repetitis flagrorum cruciatibus,
Quibus ad ſanguinis effluvia,
Innocentiſſimum corpus
Nocentium pœnis multavit,
Validiſſima Empyrei mœnia
Arietavit, quaſſavit.
Adytum demùm Triumphantium more
Per dejectos ſibi aperuit muros,
Cum inflictis cruciatibus ſe ipſum fregit,
Integritate non læſa, ſed aucta,

Sau-

Digitized by Google

Saucios ſi vides Principis pientiſſimi artus,
Trophæa ſunt partæ victoriæ,
Totus ſcriptus, totus ſculptus
Emblema compoſuit heroicæ virtutis;
Quo apprehenderes,
Charitatem per vulnerum ſpiramenta
Majores ſemper haurire ſpiritus.
Quàm bellè puritatis lilium
Spinis circumſeptum cruciatuum,
Etiam cruentam effloruit in Roſam.
Ibant olim milites in aurea veſte
Sub Antiocho,
In picta chlamyde ſub Sertorio,
In candenti ſagulo ſub Cyro.
FERDINANDUS MARIA,
Sub Martia Pietate non aliter inceſſit,
Quàm proprio purpuratus ſanguine,
Ut diſcerent Chriſtiani Principes
Hac purpura eſſe glorioſiores.

ELOGIUM XXII.

Ferdinandus Maria unicè Deo innixus, Fortunæ viciſsitudines, ità habuit infrà ſe, ut eius animi ſerenitatem nunquàm turbaverint.

EMBLEMA.

Olympus Mons tonantibus circumſeptus in ſinu nubibus, ſereno tamen vertice. Quæ de Olympo monte narranrur ſatis innoteſcunt etiam Vulgo, ac Plebeis. Mons eſt præruptis cautibus impervius, vel ſaltem acceſſu non facilis, eius inferiora, quæ in planitiem extenduntur aliquibus veſtiuntur annoſis nemoribus, cetera rupibus aſpera ſterileſcunt. Eius vertex eâ eminet excelſitate, ut ſuprà nubes aſſurgat, ac perpetua cœli gaudeat ſerenitate. Symbolum *Ferdinandi Mariæ*, qui humanarum rerum vices, ità habuit infrà Se, ut ejus animi pacatam Serenitatem nunquàm valuerint obnubilare.

Epigraphe.

Fortuna tonat infrà verticem Sapientis.

Uni-

Digitized by Google



Unicum Dei Regnum,
Ubi Cœlites non occaſura perfuſi luce
Æterna donantur beatitate,
Nec jurgia turbant,
Neque diſſidia dividunt.
Cæterùm
Ubi homines, ibi lites.
Duo tantùm *pronomina*
Totum quatiunt, ac turbant orbem
Meum, *Tuum*,
Quæ ſi deleres è mundi codice,
Lites omnes componeres,

Digitized by Google

Jurgia extingueres, diſſidia eradicares.
Hiſce verò in Orbe vigentibus,
Vix è millibus unum excipies
A jurgijs immunem
FERDINANDUM MARIAM Electorem.
Hic
Ad componendos diſſidentium animos
A Deo terris datus,
Jurgia, quæ ſedavit, nunquàm ſentijt.
Nimirùm olympo celſior
Præter Deum,
Quem ſuprà omnia coluerat,
Cetera, quæ mundus exhibet,
Quia habuit infrà ſe
Serenitatem animi divinitùs irradiatam
Obnubilarunt nunquàm,
Et tonantis Fortunæ procellas omnes
Irriſit.
Cui Deus arridet, omnia irridet
Extra Deum.
Tonet in furias acta,
Fulmina minetur debacchata Fortuna
Ejus vices inconcuſſa vincit conſtantiâ.
Et Conchyle pretioſam unionum matrem
Imitatus,
Tonente procella margarita
Nobiliorum enititur virtutum.
Sæviat Mars, cædes imprimat ſanguine fœdas,
Vulnera ipſa vulneret,
Nullum veretur integritatis detrimentum.
Cruen-

Cruenta apparet Tyrannus inſtrumenta,
Præludia ſunt Victoriæ.
Et ſemina dolorum, incrementa lætitiæ.
Si flammarum excitet volumina,
Redivivæ componit rogum Phœnici.
Si virgas expediat
Extimum tantùm excutit pulverem,
Et hunc reparabilem.
Nec læditur, nec totus moritur
Qui ita vitæ Authori innititur,
Ut ſuprà peritura animum erexerit.
Hiſce aſſueſcite faſtigijs,
Qui adverſa formidatis
Tonabit Fortuna infrà verticem.



ELO-

ELOGIUM XXIII.

Commendatur FERDINANDI MARIÆ prudens Solertia in agendis Pacis negotiis.

EMBLEMA.

Columba Noëtica ramum deferens oleæ virentibus foliis. Eſt columba animal præ omnibus volatilibus manſuetum, innocens, ac mite. Pudicitiam ſibi percaram ſedulò cuſtodit, adeò ut conjugii fidem nunquàm violet. Niſi cœlebs, aut vidua nidum non relinquit, Pacem amat. Rixatur nunquàm. Detumeſcente cataclyſmo ad Noë reverſa cum oleæ ramo fœderis, ac pacis fuit argumentum. Hinc habetur columba oleæ ramo virentibus foliis Pacis nuncia, ut bellè cecinit Prudentius *in Ditt.*

Nuncia diluvii jam decreſcentis ad arcem
Ore columba refert ramum virentis olivæ.
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera raptus
Hæſerat, illa datæ revehit nova gaudia Pacis.

Symbolum FERDINANDI MARIÆ Principis Pacifici, ac mitiſſimi aſſumitur Columba omnium volatilium manſuetiſſima oleæ deferens ramum in ſignum Pacis, quam Princeps Pacificus tot inter commotas armorum procellas maximè invexit.

Epigraphe.

Fœdera Nectit.

Pan-



Pandantur iterùm Jani Fores.
Novum timendum eſt Bellum.
Extinctas, quas credis armorum favillas,
Iterùm ſuo ex chalybe Bellona excutiet.
Mors, ut Marti cognato nomine
Meliùs conſuleret,
E mortalibus ſua abraſit falce
FERDINANDUM MARIAM
Cuſtodem Pacis, & Cultorem.
Nimirùm obicem protrivit ſui moliminis.
Crediderim,
Ut Mors denuò propulſo Marti fœneretur.

Digitized by Google

Mors, & Mars ſe mutuò fovent.
Quæ nupèr fuerant ſata cadaveribus arva
Ferales iterùm ſylveſcent in cupreſſus,
Et refricata vulnera aucto dolore
Acerbiùs recrudeſcent.
Ceci dit Princeps Caduceator,
Publicæ quietis Aſſertor, Vindex Pacis.
Quid expectandum?
Niſi, ut cæſorum è cinerario cadaverum
Mars Phœnix infauſtus reſurgat redivivus.
Heu!
Qui debacchantis Bellonæ faces extinxerat,
Mortis gelu momentò obriguit.
Septennales impenderat ipſe labores
In componendis diſſidentis Europæ jurgiis,
Tàm arduum opus minoribus vix potuiſſet
Conatibus abſolvi.
Bellica ubiquè locorum excitata incendia
Unius deſudantis anni imber
Non valuit extinguere.
Facilè præfocatur conceptus ignis
Si ſuis ardeat in cunabulis.
Annoſas ſi ſemel depaverit ſylvas,
Vix impenſo poteſt arceri conatu.
Diutinis, quæ ſunt enutrita odiis diſſidia
Lerneæ feræ imitantur capita,
Vix unum reſcindes, quin aliud repullulet,
Niſi Herculeo cinereſcunt labore.
In totam ferè irrepſerat Europam
Immanis hæc diſſidiorum Hydra

Le-

Digitized by Google

Lethale ubiquè locorum venenum ſuderat,
Ut alienâ morte viveret ipſa,
Saucijs jam farta cadaveribus
Totum infeciſſet Orbem, niſi defeciſſet,
Non ferro, non igne,
Sed labore ſeptennali, quem illi objecerat
Princeps Pacificus.
Reſtituerat publicæ quietis Aſſertor
Amiſſam, & diù concupitam Imperio Pacem.
Quos paraverat communi lætitiæ ignes,
Heu! funereas in tædas
Mors inopina ſuccendit,
Et triſtes vertit in luctus deſiderata gaudia.
Pugnas gerat internus dolor,
Cordis intima diſſipet; animum excruciet.
Principem Pacis Vindicem
Attrivit Libithina,
Suos deſperata in campis Martiis triumphos,
Illata ſibi damna
Noluit inulta dimittere,
Virenti oleæ ferales inſeruit cupreſſus,
Et qui Martis faces extinxerat
Solvitur in cineres.

ELOGIUM XXIV.

FERDINANDUS MARIA abſolutis Pacis negotijs, quibus nectendis ſeptem inſudaverat annos. Reſtituta Romano Imperio quiete. Totoque Orbe in Pace compoſito; eo tempore, quo communi lætitiæ feſtivi apparabantur ignes piiſſimè obiit.


EMBLEMA.

Mundus ſuis libratus ponderibus gemino coronatus oleæ ramo virentibus folijs. Non abs re mundum dixerat Athanagoras *orat. pro Chriſtianis* Muſicum eſſe Dei organum ob pugnantium, ac contrariorum effectuum conſonantiam. Nam ut ſcitè cecinit Syneſius hymno tertio. *Harmonia Cælorum, Elementorum, mixtorum quorumcumque, diei, noctis, fulgorum, nivium, & animantium diverſis vocibus temperata triumphale Deo carmen canit.* Tenent contrariæ inter ſe Elementorum naturæ concordem harmoniam, quâ muſicum chorum ſuis abſolutum numeris perficiunt, ut perennes ſuo Conditori laudes concinant creaturæ. Quod animadvertens Philo *lib. de Plant. Noë initio* dixit. *Univerſum hoc tanquàm in literata muſica concinere minaces contrariarum naturarum concurſus dirimente ſuadela Divino arbitrio interpoſita.* Symbolum FERDINANDI MARIÆ ultimam mortalis vitæ claudentis diem aſſumitur harmonica creaturarum congeries, ſeu Mundus inſertus Stemmati Gentilitio Inclytæ Stirpis Bavaricæ. Pientiſſimi Principis vita conſona Divinis præceptis fuerat Harmonia, à quibus nec hilum unquàm deflexit. Coronatur gemino oleæ ramo, quià Pace, quam Orbi procuraverat Chriſtiano in cœlis perpetuò fruetur.

Epigraphe.

In Æternum.

FER-



FERDINANDUS MARIA
Mortalitatem, quam die ultima Octobris
Induerat,
Vigeſima ſexta Maij exuit.
Nimirùm
In terris duntaxàt hyemaſſe credas.
Vernantes illecebrarum flores,
Quos ſuis exhibet Mundus Aſſeclis,
Nec carpſit, nec olfecit,
Aſſuetus Princeps
Cœlitum tantùm illicijs, ac delicijs,
Quod terra aperuerat floridum Ver

Ridentibus Arvorum amœnis,
Ac arridente tepentis auræ blandimento,
Sollicitante clauſit Fato.
Moribus incorrupto flores debebantur,
Qui nunquàm marceſcerent.
Amoribus innocentiſſimus perpetuò candicantia
Inter lilia
Paſci debuerat.
Maluit hìc rigentis hyemis mala tolerare,
Ac inter vepres verſari,& tribulos,
Quos omnes avulſit antequàm hinc avelleretur.
Malè cultum ſæculum
Ferales niſi ſpinas dederat,
Quæ inflictis vulneribus
Totam propemodùm cruentarunt Europam.
Sævientibus ſine procellis,
Quià rarò nivium canitie ſeneſcit hyems,
Has ubiquè terrarum excitarunt
Mars,& *Mors*.
Ille naufragia armorum fluctibus paravit.
Hæc,ut abſolveret
Sepulchri ſcopulum objecit.
Omni charybdi naufragiis immaniorem.
Impegerunt plures ineluctabile ſaxum,
Et confractâ vitæ carinâ
Uberi vindemia analecta collegit Mors,
Quæ ſuam in campis Martiis
Auxit oſſuariam.
Intumuerunt ferales ſanguinis undæ,
Et ut caderent homines, ſteterunt Arma
An-

Annos ſeptem;
Quibus totidem oppoſuit labores
Princeps Pacificus,
Ut tandèm quieſcerent lethales motus.
Sedavit Mars,
Quos ubiquè locorum excitaverat
Armorum fluctus,& procellas,
Et poſt cruentas pluvias,
Quæ terras repetitis fœdarunt necibus.
Illuxit tandèm liliata Pacis ſerenitas,
Quæ mœrentes animos, lugentes oculos
Exhilaravit.
Non ità quievit Mors,
Quæ propria damna ex ſancita Pace,
Nè inulta dimitteret,
Pacis ipſum Aſſertorem eximium
Unico clandeſtino interemit ictu.
At qui Martem licèt ſine pugna vicerat,
Non credas Mortem timuiſſe.
Licèt ab ipſa cæſus, non tamen ipſi ceſſit,
Qui viribus fractus,non animo
Fato cedit.,
Fatum nobiliore ſui parte vincit.
Ità mori poſt datam Orbi quietem,
Non eſt mori,
Sed meliori vitæ fœnerari.
Non perdidit Mors Ultrix Pacis Aſſertorem.
Sed peperit immortalitati.
Vitæ,quæ tota fuerat
Parænetica ſummis virtutibus oratio

Eſſe

Digitized by Google

Eſſe Mors peroratio debuit.
Initiis ſuis
Affines ſemper ſunt fines.
Ut ultima primis benè ſemper reſpondeant.
Præficas abijciamus lugentes.
Silentium epicediis imponamus.
Sic morienti
Mors jactura non eſt,ſed triumphus.
Quòd potuerit mori, imbecillis eſt naturæ
Conditio.
Quòd ità fuerit mortuus, ut æternùm vivat,
Laus eſt ſummæ virtutis:
Quam Principum Maximus
Ad Imperantium normam
Terris datus excoluit.
Alit etiam Pietas Principes Phœnices,
Qui ex impetentis Fati umbris
Ad clarioris lucis enituntur uſuram.
Qui vitijs profligatis ſoli vivit Virtuti
Huic interitus eſt vitalis,
Et tumulus in odoratum ei thalamum cedit.
Non perit,qui nunquàm perituris adhæſit,
Sed Mors Præfica ſimul, & Pronuba
E ſuo cinere clarioris haurit vitæ calores,
Ut morientem novæ pariat vitæ.
I nunc ſursùm advola
Principum Phœnix.
Poſt Mortis,& Martis triumphos
Æternum tibi debetur capitolium.

FER-

Digitized by Google

FERDINANDI MARIÆ,

Vtriuſque Bavariæ, ac Superioris Palatinatus Ducis, Comitis Palatini Rheni, Sacri Romani Imperii Archidapiferi, & Electoris, &c.

Piiſſima ex hac mortali vita Ad ſuperos Emigratio.

Emblematis expreſſa, ac Carminibus dilucidata in Parentalibus,

Quæ Pientiſſimo Patri Mœſtiſſimus Filius

MAXIMILIANVS EMMANVEL

Perſolvit.

NOn æqui boniquè feciſſent modulantes Muſæ, ſi Mœrentes Præficæ ad Pientiſſimi Principis Parentalia lugubri invitamento ipſas non accerſiviſſent. Immò juſto dolore percitæ querelis totum impleſſent Parnaſſum,

naſſum, & æquiſſimis lamentis ad illatam injuriam ulciſcendam ſuum concitaſſent Apollinem. Debuiſſent & Ipſæ cum ſuis tibiis, ac Citharis funebri huîc intereſſe apparatui, & Nænias defuncto Principi plenas concinere laudibus. Quià verò Facultas Lapidaria ope Symbolicæ intextis laudibus totũ laxi templi ambitum jam occupaverat: non enim in uberrima hâc virtutum meſſe unquàm illi defuiſſet fandi materia, nec indicto ſilentio unquàm conticuiſſent quotquot ex Facultatibus liberioribus fuiſſent ad hanc laudum enarrationem accitæ, ſi Templi licèt perampla capedo ſummis defuncti Principis ſuffeciſſet virtutibus. Defuerunt enim Templi ſpatia Principis virtutibus, non virtutes Principis ſpatiis Templi. Tametſi columnæ quotquot ſtriatæ Regiam Baſilicam fulciunt, & ornant, & ſpatia omnia intercolumnaria occupata fuerint in enarrandis laudibus Principum Maximi, non tamen eas poterant emetiri; fuiſſet id Homeri Iliades inter anguſtias nuclei avellanæ occludere, vel cyatho peramplas circumſcribere Pelagi planities. Conſignavimus igitur modulantibus Múſis quædam locorum ſpatia ad Aras minores; nè ullus ſupereſſet lapis, qui uberrima ab hac laudum enarratione abſtineret: quamvis Templum ipſum, quod ad omnem ſtructuræ elegantiam à primo lapide erigi iuſſerat profuſiſſimus Princeps, ſemper ſit ejus munificentiam loquuturum. Quia verò locorum anguſtiæ prolixas non capiebant carminum ſeries, maluerunt

Muſæ

Digitized by Google

Muſæ præſtrictis laconiſmis piiſſimam ex hac mortali vita ad Superos enucleare Principis emigrationem,quam pictis emblematum involucris Facultas Symbolica expreſſerat. Non tamen credas Principis Maximi ſuperſtitem Famam externis indiguiſſe inflatis buccinis; quarum ſpiritu ipſa viveret. Virtus ſibi ipſi ſufficiens eſt buccina. Non indiget Sol, qui ſui jubaris eſt Author, alieno lumine,ut ſplendeat. Summæ virtutes, quæ FERDINANDUM MARIAM Principem Maximum ad Pietatis faſtigium evexêre nitidiſſimi ſunt ſplendores, quibus æternum clareſcet. Non modò Fortunæ ſuæ, ſed & Famæ quiſque optimus eſt Faber.

Digitized by Google

EMBLEMA I.

Emortuale.

Solis eclypſis in meridie. Contingit Solis eclypſis propter interpoſitionem Lunæ inter nos, & Solem: cùm Luna opaca ſit non poteſt Sol ſuis radiis ipſam pervadere; & quia Luna (ſicuti, & ceteri Planetæ) quotquot nitores poſſidet à Sole haurit; ſolent quotiès Solis contingit eclypſis caligines terras ingruere. Providit Deus Lunæ ſplendores per Solis colluſtrationem (non quòd Deus inops eſſet, ut impiè, ac ſtultè garriunt Thalmudiſtæ) verùm ut concinnitas ſtatueretur creaturæ, quæ præeſt, & ſubeſt, & ut inſtrueremur communicare ad invicèm. Ceterùm eclypſis contingit in novilunio exiſtente Luna in capite, vel cauda Draconis: Eclyptica, in qua Sol, & Luna moventur in duobus interſecatur punctis, quorum unum ad Auſtrum vergit, alterum ad Boream, vocanturque hæc puncta interſectiones; & figura interſectionis Draco ab Aſtrologis dicitur. Symbolum FERDINANDI MARIÆ ſubeüntis Libithinæ Fata exhibet Sol, qui tametſi ex Lunæ interpoſitione eclypſetur nòn tamen extinguitur. Ità Pientiſſimum Principem potuit Mors eclypſare, ipſumque terris ſubripere, non tamen ipſum interimere perenni luce, ac vità dònatum.

Epigraphe.

Non extinguitur indè.

In



In tenebris ſtravi lectulum meum,
Job. 17.

Vix medium Phœbus perluſtrans Æthera curſum
Implet, & atratas ſolvitur in tenebras.
Extinxit mediæ FERDINANDI lumina vitæ
Mors. Sed cum Superis emicat indè magis.

Eduxit me de lacu Miſeriæ,
Pſal. 39.

u 3 *EM-*

EMBLEMA II.

Emortuale.

Sol occidens aquis ſemi-immerſus. Certum eſt Solem viginti quatuor horarum ſpatio perfectum deſcribere circulum unum ex diurnis, qui intrà ambos includuntur torpicos, & latiorem nobis eſſe diem Sole in Cancro degente; breviorem exiſtente in Capricorno: quò enim depreſſior eſt Polus eò contractiores, & quò elevatior eò ampliores ſunt cujusvis Regionis dies: hinc æſtate majores; hyeme minores nobis dies illuceſcunt: tantùm degentibus ſub æquatore oritur, & occidit Sol per totum anni circulum ijsdem fere horis. Ceterùm quià Sol, ut pulchrè loquitur Ambroſius 4. Hexaëm. cap. 1. *Eſt oculus mundi, jucunditas Diei, Cœli pulchritudo, Naturæ gratia, præſtantia creaturæ*, ità Deus rerum omnium Sapientiſſimus Artifex Solis dirigit curſus, ut ejus beneficia ſentiant omnes terrarum Incolæ. Ad quod præſtandum opus fuerat, ut Sol ità in occaſum vergeret, ut alterum hemiſphærium ſuis itidèm illuſtraret ſplendoribus. Symbolum ſanè FERNANDI MARIÆ ſuam obeuntis diem; in Mortis ita deverſit occaſum, ut luceat nobiliore circumfuſus lumine in ſuperiori cœli hemiſphærio.

Epigraphe.

Aucto lumine ſurget.

Tor-



Torrentem pertranſivit Anima noſtra.
Pſal,23.

Occiduis Phœbus declinans mergitur undis,
Sed radios aucto fœnore reddet humo.
Sol FERNANDUS erat virtutis lumine clarus
Occidit,ut radio nobiliore micet.

Sedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. 1. Reg.2.

EM-

Digitized by Google

EMBLEMA III.

Emortuale.

Sol pendulis in aëre medio obductus nubibus. Eſt Sol, ut loquitur D. Ambroſius Mundi oculus purgatiſſimus, ac pellucidus, ſine quo cœcutiret Orbis, perpetuiſque obſitus tenebris, omnibus deſtitueretur commodis, quæ nobis abundè ad vitam ducendam benefica dextera Excelſi per creaturas miniſtratrices ſuppeditat. Placuit Bonitati Conditoris, ac Opificis Dei Luminare hoc majus, ſeù pulcherrimam, ac ſplendidiſſimam Cæli lampadem accendere, ut creata omnia in cælo, & in terris ſuo perfunderentur lumine, ac calore foverentur. Præ cæteris à Deo conditis, excellentiſſimi præſtantiam Opificis nobis Sol prodit, adeò ut Pſalmographus ejus nitores Sponſi pulchritudini æquiparet, cùm de Thalamo ſuo procedit, & ut gigantem, ait, exultare ad currendam viam, & à ſummo Cælo ejus prodire egreſſionem, & occurſum uſquè ad ſummum ejus. Nobis tamen in terra degentibus ſubindè Solis intuitum agglomeratæ ſurripiunt nubes, quæ in pluvias ſolutæ lucem viderentur illacrymari, quâ privamur, niſi ſciremus ſuprà hæc inferiora adhùc Solem ſplendeſcere nitidiorem. Symbolum FERDINANDI MARIÆ terris abrepti aſſumitur Sol contectus nubibus ſurſùm tamen ſupra nubes illuceſcens. Ità Mors, inſtar irruentis nubis ex ſuborto turbine potuit ſuo peplo Nitidiſſimum Principem obducere, nunquàm tamen ejus nitores, quos è ſummis hauſerat ipſe virtutibus extinguere.

Epigraphe.

Nil demitur Lucis.

Digitized by Google



Juſtorum Animæ in manu Dei ſunt,
Sapient. 3.

Lumina ſi peplo ſuccingunt nubila Phœbi,
Non quidquàm radij demitur indè ſui.
Triſtia ſi rapiunt FERNANDUM funera terris,
Ad Superos vehitur, clarior ut rutilet.

Opera eorum ſequuntur illos,
Apocal. 14.

Digitized by Google

EMBLEMA IV.

Emortuale.

Phœnix inſidens odorato Rogo. Phœnix eſſe dicitur in Oriente à Phœnicio pennarum colore ſic dictus, magnitudine Aquilam æquat. Ferunt vitam protrahere ad annos ſexcentos, & ſexaginta. Cum primùm verò ultimam inſtare vitæ periodum noverit odorata colligit ligna, quæ ſuprà verticem alterius ex Arabiæ montibus unà componit, & alarum flabello diventilans funereas à Sole faces mutuat, erectamque accendit ſtruem; ipſeque amore captus lætiſſimi lethi, ac redivivæ juventæ libens flammarum cedit pabulum, imminentis mortis dolores tolerat, ſeque interimit ſpe illectus reſurgendi ad recentis vitæ uſuram. Nimirum Avis licèt Virgo, fœcundiſſima tamen, ſui eſt Genitrix, & ſoboles, Clotho, & Atropos; quatenùs vitæ ſtamen incidendo redorditur, ſeque parit, cùm perit. Symbolum FERDINANDI MARIÆ, qui ſummarum perfuſus odore virtutum, quibus Chriſti bonus odor fuit mortalitatem exuens induit immortalitatem.

Epigraphe.

Ex funere vita.

Opor-



Oportet mortale hoc induere immortalitatem, 1. Corinth. 15.

Funereas flammas quærit ſibi Præfica Phœnix,
Sed periens paritur Pronuba facta ſibi.
Falleris, extinctam ſi credis funere vitam
FERNANDI, invenit pro tumulo thalamum.

Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, Sapient. 4.

EMBLEMA V.

Emortuale.

Cynoſura, ſeù Vrſa minor. Duo ſunt Mundi poli axem terminantes, Arcticus, & Antarticus; qui in Europa degentibus ſemper apparet Boreus dicitur, ſivè Aquilonius, aut ſeptemtrionalis. Vocatur ſeptemtrionalis à minori Urſa, quæ dicitur à ſeptem, & trion, quod idem eſt, ac Bos; eo quia ſeptem ſtellæ, quæ in Urſa minori ſplendent ſegnitèr moveantur ad inſtar Bovis: cum ſint polo cæteris proximiores debent tardiùs moveri, ſicut partes, quò minùs diſtant à centro parum, vel nihil circumëunt. Volunt alij ſeptem illas ſtellas dici ſeptemtrionales, quaſi ſeptem triones, eò quod terant partes circa polum. Polus huic oppoſitus vocatur Antarticus, ſeù contrà Arcticum poſitus. A Nautis uterque polus ſtella polaris, ſeù Cynoſura dicitur; non quod Poli ipſi ſint ſtellæ, ſed quia propè utrumque polum ſunt ſtellæ, quæ cum parùm moveantur, & nunquàm Nautarum oculos fugiant eorum itinerà dirigunt. Stella polò Arctico proximior ſplendet in extremitate caudæ Vrſæ minoris. Uterque Polus deſcribitur à Virgilio I. Georg.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum
Sub pedibus ſtyx atra videt, maneſque profundi.

Symbolum FERDINANDI MARIÆ aſſumitur Cynoroſa, quæ tantùm vertitur circà polum, nunquàm tamen occidit. Princeps etiam Pientiſſimus, quia Deo immobiliter ſemper adhæſerat ingruente Mortis caligine non deficit, ſed Deo arctiùs approximatur.

Epigraphe.

Non occidit unquàm.

Mors



Mors illi ultrà non dominabitur,
ad Rom. 6.

Vertitur in flexos curſus non occidit unquàm,
Præſignat nautis hìnc Cynoſura vias.
Occiduum credis, qui monſtrat ad Æthera greſſus?
Falleris: Aſtra petunt, quem Superi dederant.

Collocet eum cum Principibus cum Principibus Populi ſui, Pſal. 112.

Digitized by Google

EMBLEMA VI.

Emortuale.

Avis Paradiſiaca aëris ſuperiora petens. Inter volucres exoticas principem fortaſſis ſedem occupat Avis Paradiſea ſpecioſo hoc inſignita nomine eò, quià plerique in Paradiſo terreſtri degere autument, ac roſcidis enutriri guttulis. Vel ut placet aliis propter eximiam corporis venuſtatem, plumasvè diſcolores ad omnem pictas elegantiam. Id huic volucri eſt peculiare, ut pedibus careat, proindè terræ commercia neſciat. Prodeunt tamen è cauda fila quædam portenta, ſeù nervi ad quemlibet flexum perquàm idonei, quibus pedum vice quodammodo utitur, notat Ulyſſes Aldrovandus *Lib. 22. Ornithologiæ* tempore quietis capiendæ, iiſdem filis, ſeù nervis arborum ramis ſeſe adnectere, ac pendulam indormire. Eius caput rotundum non eſt, ſed preſſum, quale illud Hirundinis. Plumæ tàm, quæ à ventre, quàm quæ à dorſo enaſcuntur, cum longiſſimæ ſint caudam componunt diſcolorem. Symbolum FERDINANDI MARIÆ ex hac mortali vita emigrantis,& adSuperos ſcandentis aſſumitur Avis Paradiſea terræ fugiens commercia.

Epigraphe.

Infima neſcit.

In



In loco Paſcuæ ibi me collocavit,
Pſal. 22.

Proxima Cœlitibus neſcit commercia terræ
Hæc volucris nomen, cui Paradiſus erat.
Non moritur: ſuperas tendit Fernandus ad arces
In terris nunquàm fixerat ille pedes.

Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chri-ſto. Ad Philipp. 1.

EM-

Digitized by Google

EMBLEMA VII.

Emortuale.

Vitis cultro amputata. Vitis eò dicta primò videtur, utì notat Varro. *lib. 1. de Re ruſtica cap. 13.* quia invitet ad uvas percipiendas. Præ ceteris vegetabilium generibus maximè delectat ſpumantibus ſuis fructibus, quibus vina ſubminiſtrat generoſa ad hominum corda exhilaranda, ad nativum ſtomachi calorem corroborandum. Ex acino vinaceo, ait D. Ambroſius *lib. 3. Hexaëm. cap. 12.* Vitem uſque ad arboris ſummum cacumen prorumpere, quam veluti amplexu quodam fovet, & quibusdam brachiis ligat, ac circumdat lacertis, pampinis veſtit, ſertisque coronat uvarum. Ceterùm vitis vitam noſtram imitata natura flexibilis eſt, & caduca; fulcris; ac claviculis innititur, ſeque erigit, ac attollit. Suis tamen viduata fructibus, frondibusque ſpoliata, ut uberiorem ſit vindemiam exhibitura amputatur, eiusvè reſecantur ſarmenta. Symbolum ſanè FERDINANDI MARIÆ terris erepto. Succidit Atropos in ipſo ætatis vere vitale Suaviſſimi Principis ſtamen: non tamen credas Principem interemiſſe, nobiliore coronabitur virore non ampliùs perituro.

Epigraphe.

Secta Vireſcet.

Suc-

Digitized by Google



Succidit me de mane uſquè ad veſperam.
Pſal.38.

Nodoſas vites, ſi ſcindit falce Putator,
Pampineis creſcunt curva per arva comis.
Stamina FERNANDI rupit Mors invida vitæ.
Si cecidit moriens, Indè reſurget ovans.

Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.
Pſal.123.

EMBLEMA VIII.

Emortuale.

Palma gravi pondere preſſa. Palma regionibus amica perpetuò calentibus in Africæ præſertim gignitur plagis. In Italia frondeſcit ſterilis. Ubi terra ſabuloſa, ac nitroſa fuerit luxurioſiùs germinat, ut notat Plinius *Lib. 13. natural. Hiſtor.* eius caulis, ſeù ſtipes teres, ac procerus in cylindri ſpeciem denſis, gradatiſque corticum pollicibus, ut orbibus ſcanſilis eſt, in cacumine curvatim aculeata folia comam pectinatim componunt. Ceterùm id habet Palma peculiaris, quòd ſi preſſa pondere fuerit, oneri non cedit, ſed aſſurgit ſublimior; qua de cauſa Victoribus tradebatur præmio, eò quòd impetenti non ceſſerint hoſti, ſed pertinaces in bello perſtiterint. Hinc habetur Palma Victoriæ teſſera, ut refert Gell. *lib. 3. cap. 6.* Symbolum FERDINANDI MARIÆ inſignes reportantis de morte triumphos aſſumitur Palma gravi pondere inclinata. Princeps Pientiſſimus etſi ſaxo preſſus ſepulchrali, grandeſcit nihilominùs ſublimior æterna beatitudine donatus.

Epigraphe.

Inclinata reſurgo.

Ab-

Digitized by Google



Abſorpta eſt Mors in victoria.
1. Corinth. 15.

Nobilis in campis frondeſcens Palma reſurgit
Victrix, preſſa gravi pondere ſi fuerit.
In tumulo preſſus Princeps fuit altera Palma
Hoc illi deerat Vincere Fata Necis.

Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.
Pſal. 149.

Digitized by Google

Quatuor, quæ ſequuntur Emblemata totidem pendebant ex ſuggeſtis Eccleſiæ lugubri obductis panno.

E M B L E M A.

Leo impavidè jacens ad latratus impetentium canum venaticorum. Præ cæteris, quibus precellet dotibus Leo ferarum Princeps ea eſt commendatione dignior, ut non ſolùm manſueſcat ad obvios ovium greges, nec quidquàm ipſis inferat damni; adeò ut cecinerit ille *Nec magnos metuent armenta Leones*, Verùm etiam feras imbecilliores, utì canes turmatim irruentes flocci faciat, dedigneturquè cum ipſis inire certamen, tametſi infeſtis provocetur latratibus. Symbolum FERDINANDI MARIÆ Principum Maximi aſſumitur Leo ſtemma Gentilitium Inclytæ Domus Bavaricæ, tametſi in Boicum iſtum Leonem, fuerit ſubindè oblatratum, nil tamen formidavit, nec minas expavit, ſuis ipſe armis fortiſſimus.

Epigraphe.

Magnis non ſunt Formidini latratus.

En

Digitized by Google



En jacet impavidus, non ora latrantia curat,
Fortia contemnunt pectora ubiquè minas.
Bella gerant alii clades, cædesque minentur.
Non timet indè minas Boicus iſte Leo.

Digitized by Google

Commendatur Prudentia FERDINANDI MARIÆ tot inter Europæ diſcrimina, ac cruenta bella. Tametſi non defuerint Principi Pacifico militum octodecim millia, maluit tamen incolumem ſervare pacem, & ſine pugna triumphare, quàm bellum inire.

EMBLEMA.

Armata Minerva cum ægide, & haſta. Fabulantur Poëtæ Minervam ex Jovis cerebro prognatam, ut ſignificent humaniorum literarum diſciplinas ex Iovis cerebro prodire; ſeù omnem ſapientiam ex inexhauſto divinæ mentis fonte depromi, & ad nos derivare. Hanc veteres ſapientiæ Deam coluerunt, ac curarunt delineari armatam cum ægide, & haſta; ut denotarent arma, & conſilium decere Principem. Symbolum FERDINANDI MARIÆ aſſumitur armata Pallas; quia Princeps Maximus præpotens armis, & conſilio, maluit nihilominùs ſolo conſilio temporum diſcrimina evadere.

Epigraphe.

Conſilio, & Armis.

Con-

Digitized by Google



Conſilio celebris Pallas laudatur, & armis.
Nam ſine conſilio ſæpiùs arma nocent.
Non deerant Martis *Fernando* Spicula, & enſes.
Tempora, ſed voluit vincere conſilio.

Digitized by Google

Commendatur Sapientia FERDINANDI MARIÆ, quâ Princeps Pacificus commotos per univerſam propemodùm Europam armorum fluctus egregiè evaſit, & glorioſior ipſe ſervata pace, quàm ceteri inito bello triumphavit.

EMBLEMA.

Arion per æquora à Delphino vectus. Fuit Arion, ut refert Plutarchus *in Sympoſio.* Citharœdus haud obſcurus, ac Poëta lyricus, qui primus dithyrambos creditur adinveniſſe. Hic cùm ex Italia ubi arte ſua plura auri, argentivè pondera fuerat lucratus Corinthum traiiceret, evaſurus inſidias, quæ à Nautis eius inihantibus opes apparabantur ex præcelſa puppi in ſubiectum mare ſe præcipitem dedit; & à Delphino tranſvectus imminentia evaſit pericula. Meminit huius hiſtoriæ, ſeù fabulæ etiam Herodotus *Lib. 1.* Symbolum ſanè FERDINANDI MARIÆ, qui tot inter rerum diſcrimina conſilio, & Sapientia belli evaſit, quæ imminebant pericula.

Epigraphe.

Sapiens ubiquè tutus.

Æquo-



Æquora Delphini obſequio tranſfertur Arion,
Nec timet impavidus Monſtra ferina maris.
Ingenio Sapiens, inter diſcrimina rerum
Imperii, *Princeps* tutus ubiquè fuit.

Com-

Commendatur FERDINANDI MARIÆ inconcuſſa Conſtantia in pace ſervanda, ac promovenda: tametſi non defuerint repetiti exterorum Principum impulſus, quibus ad bellum inëundum enixè hortaretur.

EMBLEMA.

Scopulus cautibus abruptus è ſinu fluctuantis Oceani emergens, ad quem impingentes franguntur tumentes æquoris undæ. Oceano ſæviente, ventiſque furentibus nil firmiùs irruentibus obſiſtit fluctibus Scopulo ſaxeo in mare promicante. Frangit quotquot ipſum impetunt ingruentes fluctus, non tamen frangitur ipſe, adeò ut in ipſo ſævientis procellæ æſtu, ac motu immobilis quieſcat, ac inconcuſſus perſiſtat. Symbolum FERDINANDI MARIÆ Principis Pacifici, qui ſolus tot inter armorum procellas, ac fluctus quievit, & ideò triumphavit glorioſior, quia non pugnavit, ac conatus omnes confregit, quibus ad bellum compellebatur.

Epigraphe.

Frangit non frangitur.

Im-

Digitized by Google



Immotus ſiſtens ſcopulus percuſſus ab undis
Ferventis tumidas Æquoris arcet aquas.
Undiquè diffuſo bacchati ſanguine Martis
FERNANDI irriſit mens generoſa minas.

PA-

Digitized by Google

PARENTALIS OPERIS
CLAVSVLA,

Et pro ea

EPITAPHIVM.

Incidendum Sarcophago utriusque Principis Conjugis FERDINANDI MARIÆ *Principis Pacifici*, & HENRIETÆ MARIÆ ADELAIDIS à Sabaudia, Principum Fœminarum Maximæ.

Exſudantia Gebanitarum cinnama,
Totamquè Arabiæ meſſem
Maximos in hos cineres,
Adhùc mutuo Amore calentes
Proiice Viator.
Gemino Principum Phœnici,
Niſi odorati debentur cineres.
Uterque ex eodem Rogo
Amoris mutui
Vitales Conjugum hauſit Spiritus,
Ut Alter, niſi ex ſpiritu Alterius
Viveret,
Et una Utriuſque eſſet vita,
Quam Mors præmatura dimidiavit,
Cùm è ſinu FERDINANDI MARIÆ
HENRIETAM MARIAM ADELAIDEM
A Sabaudia Natam Regiam
Avulſit.

Seù

Digitized by Google

Seù in ipſo ætatis flore
Florum omnium pulcherrimum,
Ac ſuaviſſimum demeſſuit.
Et ut dimidium vitæ ſuperſtiti Principi
Mortem rapuiſſe crederes,
Cum Conjugem amatiſſimam eripuit.
Ultrà quadrageſimum ſecundum ætatis annum
FERDINANDUM MARIAM
In terris vivere Fata non permiſerunt.
Uterquè tamen vixit quantùm debuit,
Quia dimidium tantùm.
Unicum fuerat utriusque cor,
Unicus Amor, unica Vita,
Hanc Natura
Suprà octoginta rarò protrahit annos,
Uterquè circitèr quadrageſimum vixit.
Neutri Mors eripuit, quod deberetur,
Quia Ambo ſimùl, quod Natura concedit,
Explerunt.
Licèt ambo, ut integerrimè viverent
Vitam in terris dimidiaverint.
Æternam in Cœlis jam integrare credas.
Id utriuſque mores, & Amores produnt.
Sperate, qui ſic amatis.
Phœnicio huic Amori
Nihil eſt vitaliùs, quàm mori.

Malè admiſſa, vel omiſſa ex feſtinantis Præli præcipiti curſu.

Pag. 3 Lin. 8. perambli corrige perampli. Pag. 3. Lin. 18. funabulis corrige funalibus. Pag. 5. Lin. 13. pennicillo corrige penicillo. Pag 7. Lin 18. throphæa corrige trophæa. Pag. 38. Lin. 1. quadriparti hiatus corrige quadripartiti hiatus. Pag. 110. lin. 30. obiiecerat corrige obiecerat. Pap. 126 Lin. 25. ſeblevavit corrige ſublevavit. Pag. 138 Lin. 8. narrantur corrige narrantur. Pap 156. Lin 3. torpicos corrige tropicos. Pag. 162. Lin. 23. Cynoroſa corrige cynoſura. Pag. 124. Lin. 13. inihantibus corrige inhiantibus.

Alia ſi quæ irrepſerunt per ſe ipſum emendet Benignus Lector.

397.411
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google